[illegible] libro 7 [illegible] 24

[illegible] simul

[illegible] probabit.

Aristoteles de Natura

Natura nihil facit frustra

Quoties [illegible]

sunt in [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] super [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] non potest [illegible]

[illegible]

Scotus Thomas

[illegible]

Mathias Posnanien[sis]

A D 1 5 8 9

constat 1fl 2 gr

[illegible]

[illegible]

Subiectum est quod ponitur ante est predicatum quod post est

[illegible]

Categorica [illegible]

[illegible] Faber est

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Corpus quod corrumpitur aggravat animam

Hoc genus [illegible] dividendi appellant alij acci-
dentali. quod est triplex.

1 quando res substantia dividitur in accidentia
ut [illegible] quando substantia sub se [illegible] divi-
dit ratione eorum quae sunt accidentia
~~[illegible] substantia~~

2 accidentia in subiecta.

3 cum ipsa accidentia [illegible] accidentia [illegible] dividit non
subiectorum accidentes vel genus vel species

Tamquam [illegible] temporalis [illegible] substantiae est
[illegible] toria [illegible] [illegible] [illegible] est
[illegible] sit

M. T. CICERONIS AD C. HERENNIUM RHETORICA, IAM RECENS

in succinctam compendij redacta formam, & in appositas ad puerorum ingenia Tabulas digesta. Nonnullis autem in locis ex optimorum Autorum monumentis locupletata.

[redacted]



Cum Gratia & Priuilegio Cæsareo ad octennium.

*

FRANC. Apud Hær. Chr. Egen.
M. D. LXIII.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI D. VVILHELMO, CLArißimi Principis Hessorum, ac Comitis à Catzenelbogen &c. D. Philippi filio, domino suo clementißimo,

REINHARDVS LORICHIVS Hadamarius. S.

RES duas in ciuitatibus plurimũ posse Cicero memorat, summam gratiam, & eloquentiam. Quarum alterã cùm tua, Princeps illustrissime, clementia maximam habeat, alteram acceptæ sociam diuina studiorum, in quibus modò feliciter progrederis, opera subiungendã esse, nihil ambiges, si tui, quem olim dijs hominibusq́ꝫ (ut aiunt) plaudentibus initurus eris, principatus rationem ante oculos positam expenderis, contemplabere sæpius tibi necesse fore, sentẽtias in dicasterio dicere, responsa dare, rationes alienas refellere, consilia saniora suadere, tuos deniq; subditos ad bene atq; fortiter agendum, cùm pacis, tum belli temporibus adhortari. Quę omnia, rebus efflagitantibus, ut expeditissimè conficere queas, una præstabit eloquentia, cuius est tãta uis, ut popu-

los gubernare, Remp. regere, mores homi
num atq; animos in poteſtate ſua ueluti ca
ptos tenere, & quocunq; uoluerit impel-
lere poſsit, ut non immeritò rerum domi
na atq; regina ſit uocitata. At licet bonam
(quod inſpiratum aliquãdo iuuenes Prin
cipes à ſtudijs retrahit) negotiorum par-
tem expedire poſsit uicaria Conſiliario-
rum facundia, tamen ſicut oculus Domi-
ni & Imperatoris ipſius præſentia pluri-
mum habet ad res tranſigendas momen-
ti, ſic oratio Principis ipſius eloquẽtis ore
prolata, multo plus effecerit, quàm con-
ductitia complurium Rhetorum aulicorũ
opera. Pyrrhus Epirotarum Rex ſolebat
dicere Cineã oratione plures urbes ſube-
giſſe, quàm ipſe cepiſſet armis. At quanto
plures ipſe Rex, ſi fortitudine parem ſibi
comparaſſet eloquentiam? Porrò confir-
matum eſt, quod dicit Euripides: πᾶν ἐξαι
ρεῖ λόγος ὃ καὶ σίδηρος πολεμίων δράσειεν ἄν.
Quod multi Duces ac Imperatores ani-
mis reuoluentes, olim non uulgaribus in
artem dicendi ſtudijs incubuerunt, elo-
quẽtiſsimi redditi. Quorum illuſtres ora-
tiones atq; monumenta prodita memo-
riæ

riæ satis adhuc abundè poterunt testari, quantum efficere quiuerint in Rep. uel pacis, uel belli temporibus, & ostẽdere Principem bonum, & eloquentem in Rerumpub. administratione summum ornamentum & uirgulæ quasi diuinæ uirtutes esse: Elinguem autem, ac indoctum id haberi, quod prouerbio dicitur: πίθηκος ἐν πορφύρᾳ. Hoc ipsum ne tibi possit aliquando cõpetere, sed potius ut te Principem, ut bonitate præfulgentem, sic arte dicendi præcellentem possimus habere, Præceptor tuus uigilantissimus M. Iustus Hibernius, in id neruos omnes intendit, ut nihil, quod ad iustam Principis institutionem pertinet, intermittat. Et tuæ Serenitati iam ego Rhetoricam hanc Ciceronis in compendium, ac Tabulas memoratu faciles, contractam dedicare uolui: partim, ut ætas tua propediem in Rhetoricis exercenda, faciliorem haberet ingrediendi uiam: partim, ut clemẽtiæ tuæ gratia perfusum hoc quicquid est studij mei, gratiam aliquam inuenire possit apud alios, in quorum manus auspicio tuo peruenturum: partim, ut Celsitudinis tuæ uallo munitum esset

contra Sycophantarum iniurias, tali fauoris tui prærogatiua fruiturum: quali freta gloriatur adhuc Germanica Principis Institutio mea, tuo quoq; iam olim nomini dicata. Quam licet mordere genuino, falsisq; calumnijs proscindere studuerint nonnulli, misopono (quem Nocte matre, Somno patre progenitum asserunt) Momo litare uisi, tamen & tuæ clementię, & patris tui Principis clarissimi tuta patrocinio, nondum uim passa succubuit, innocentiæ simul ac ueritatis propugnaculo circumsepta. Deus Optim. Maxim. tuam celsitudinem incolumem nobis conseruare, & uirtutum pariter ac studiorum ornamentis indies magis atq; magis illustrare dignetur. Marpurgi. Idibus Septembribus, Anno M. D. XL.

QVID

QVID RHETORICA SIT, ET VNDE DICTA.

RHETORICA, quam Oratoriam aliqui nominant, est bene dicendi scientia, in quæstione ciuili. *Deducitur autem* ἀπὸ τοῦ ῥέω, *siue* ῥῶ, *per cōtractionem, uerbo inusitato, quod significat dico.*

QVID ORATOR, ET quod eius officium.

ORator est uir bonus, dicendi peritus: *Vel, qui, quæcunq; res inciderit, quæ sit dictione explicanda, prudenter & compositè & ornatè, & memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate. Cuius officium est, de his rebus posse dicere, quæ res ad usum ciuilem moribus ac legibus constitutæ sunt, cum assensione auditorum, quoad eius fieri poterit.*

QVASNAM RES ORAtorem oporteat recipere.

Recipit causarum, uel ut alij uocant, ciuilium quæstionũ aut causarum genera tria:

Demonstratiuum, uel laudatiuum, quod attribuitur in alicuius certæ personæ laudem, uel uituperiũ. Cuius finis honestas est, uel turpitudo. Græci nominant ἐπιδεικτικὸν, uel ἐγκωμιαστικὸν, ut ait Quintilianus.

Deliberatiuum, quod in consultatione positum, habet in se suasionem & dissuasionem. Cuius finis utilitas. Græci δημηγορικὸν appellant, & συμβουλευτικόν.

Iudiciale, quod in controuersia positũ, habet accusationem, aut petitionem cum defensione. Cuius finis est æquitas. A Græcis δικανικὸν uocatur.

DE PARTIBVS RHEtorices.

Rhetoricæ partes sunt quinq;.

I. Inuentio, est excogitatio rerum uerarum, aut uerisimilium, quæ causam probabilem reddant.

II. Dispositio, est ordo, & distributio rerum, quæ demonstrat, quid quibus in locis sit collocandũ.

III. Elocutio, est idoneorum uerborum & sententiarum ad inuentionem accommodatio.

IIII.

IIII. Memoria, est firma animi, rerum, & uerborum dispositionis perceptio.

V. Pronunciatio, est uocis & uultus, & gestus moderatio cum uenustate.

QVOMODO VIM DICENDI POTERIMUS ASSEQUI.

Omnia dicta modis tribus assequemur.

- Arte, quæ dat certam uiam, rationemq; dicendi.
- Imitatione, qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum similes in dicendo uelimus esse.
- Exercitatione, quæ est aßiduus usus cõsuetudoq; dicendi. Cicero alibi sic ait: Dicendo homines, ut dicant efficere solent. Caput autem est, quod, ut uerè dicam, minimè facimus (est enim magni laboris, quem plerũq; fugimus) quàmplurimum scribere. Stylus optimus & præstantißimus dicendi effector, ac magister.

DE INVENTIONE.

Inuentionis partes sex.

I. Exordium, est principium, per quod animus auditoris uel iudicis constituitur, uel apparatur ad audiendum.

II. Narratio, est rerum gestarum, aut perinde ut gestarum expositio.

III. Diuisio, *est per quam aperimus, quid conueniat, quid in controuersia sit, & per quam exponimus, quibus de rebus sumus dicturi.*

IIII. Confirmatio, *est nostrorum argumentorum expositio, cum asseueratione.*

V. Confutatio, *est contrariorum locorũ dissolutio.*

VI. Conclusio, *est artificiosus orationis terminus.*

DE EXORDIIS.

Exordiorũ duo sunt genera:

- Principium, *quod Græcè* προοίμιον, *est cùm statim auditoris animum nobis idoneũ reddimus ad audiendũ, idq; apertis rationibus, ut attentos, ut dociles, ut beneuolos auditores habere poßimus.*
- Insinuatio, *græcè* ἔφοδος, *est oratio quadã dißimulatione, & circuitione obscurè subiens auditoris animũ, eademq; omnia, quæ procemion, occultè cõficiens.*

DE CAVSARVM GEneribus.

Quatuor sunt genera causarum, ad quæ omnis exordiorum ratio est accommodanda.

I. Honestum *est, cùm aut id defendimus, quod ab omnib. defendendũ uidetur, aut id oppugnamus, quod*

quod ab omnibus uidetur oppugnari debere. Hîc licebit rectè uel uti, uel non uti principio.

II. Turpe est, cùm aut honesta res oppugnatur, aut defenditur turpis. Hîc ab insinuatione exordiemur, nisi quid nacti fuerimus, quare aduersarios criminando, beneuolentiam captare poßimus.

III. Dubium, quod habet in se honestatis & turpitudinis partem. In hoc genere principium à beneuolentia constituerimus, ne quid illa turpitudinis pars nobis obesse poßit.

IIII. Humile, cùm contempta res affertur, in quo faciemus attentos.

QVOMODO ATTENTI, dociles, ac beneuoli sint auditores faciendi.

Auditores faciemus

- Attentos, si pollicebimur nos de rebus magnis, nouis, inusitatis uerba facturos, aut de ijs rebus, quæ ad Rempub. pertineant, aut ad eos ipsos, qui audiunt, aut ad Deorum immortalium religionem: & si rogabimus, ut attentè audiant: & si numero exponemus, quibus de rebus dicturi sumus.
- Dociles, si summā causæ breuiter exponemus, & si attentos eos faciemus. Nā docilis est is, qui attentè uult audire.

Beneuolos

Beneuolos quatuor modis, A persona

Nostra, si nostrũ officiũ sine arrogantia laudabimus, aut in Remp. quales fuerimus, aut in parẽtes, aut in amicos, aut eos ipsos, qui audiunt, aliquid referemus, dummodo hæc omnia ad ipsam rem, de qua agitur, sint accõmodata. Item, si nostra incõmoda proferemus, inopiã, solitudinẽ, calamitatẽ. Et si orabimus, ut nobis sint auxilio, & simul ostẽdemus, in alijs spem nos habere noluisse.

Aduersariorum, si eos in odium rapiemus, hoc est, si quid eorum spurcè, superbè, perfidiosè, crudeliter, confidenter, malitiosè factum proferemus. Item, si eos in inuidiam trahemus, aduersariorum uim, potentiam, factionem, diuitias, incontinentiam, nobilitatem, clientelas, hospitium, sodalitatem, affinitates proferendo, & his adiumentis magis, quàm uirtuti eos confidere aperiendo. Item, si in contemptionem adducemus: quod fiet, si inertiam, ignauiam, desidiam, luxuriam aduersariorum proferemus.

Auditorum, si res eorum fortiter, sapienter, mansuetè, magnificè iudicatas proferemus, & si quæ de his existimatio, quæ iudicij expectatio sit, aperiemus.

Arebus

A rebus ipsis, si nostram causam laudando extollemus, aduersariorum per contemptionem deprimemus.

QVALITER INSINVATIONE utendum, & quando.

Tria sunt tempora, quibus non principio, sed insinuatione utendum.

I. Cùm turpem causam habemus, hoc est, cùm ipsa res animum auditoris à nobis alienat, tum exordiri poterimus his rationibus: hominem, non rem: aut rem, non hominem spectari oportere: non placere nobis ipsis, quæ facta dicantur ab aduersarijs, & esse indigna, & nefaria. Deinde rem cùm diu auxerimus, nihil simile à nobis factum ostendemus, aut aliquorum iudicium de simili causa, aut de eadem, aut de minore, aut de maiore proferemus. Deinde ad nostram causam pedetentim accedemus, & similitudinem conferemus. Item, si negabimus nos de aduersarijs, aut de aliqua re dicturos: & tamen occultè dicemus, interiectione uerborum.

II. Cùm animus auditoris persuasus esse uidetur, ab his, qui antè dixerunt. Ergo, si fidem factam putabimus, his nos rebus insinuabimus ad causam, si de eo, quod aduersarij firmißimum sibi adiumentum putauerint, primum nos dicturos pollicebimur: aut

ab aduersarij dicto exordiemur. Et ab eo maximè, quod ille nuperrimè dixerit. Aut dubitatione utemur, quid potissimum dicamus, aut cui loco primum respondeamus cum admiratione.

III. Cùm defessus est eos audiendo, qui antè dixerũt, exordiri poterimus ab aliqua re, quæ risum mouere possit, ut ab apologo, fabula, uerisimili, imitatione, deprauatione, inuersione, ambiguo, abiectione, suspicione, stultitia, exuperatione, collatione, literarum mutatione: præterea expectatione, nouitate, historia, uersu, aut ab alicuius interpellatione, aut arrisione. Et si promiserimus aliter, ac parati fuerimus nos esse dicturos, nos non eodem modo ut cæteri soleant uerba facturos: quid alij soleant, quid nos facturi simus breuiter exponemus.

QVAE IN BONIS EXORdijs seruanda.

In exordienda causa seruandũ est, ut lætus sit sermo, ut usitata uerborum consuetudo, ut non apparata uideatur oratio. Sententiarum quidẽ & grauitatis plurimum debet exordium habere, sed splendoris & festiuitatis, et concinnitudinis minimum, propterea q; ex his suspicio quædã apparitionis atq; artificiosæ diligentiæ nascitur, quæ maximè orationi fidem, oratori dignitatem uel autoritatem adimit.

DE VITIOSIS EXORDIOrum generibus.

Vul-

Vitiosorum exordiorum genera octo.

Vulgare, *quod in plures causas potest accōmodari.*

Cōmune, *quo nihilominus aduersarius potest uti.*

Cōmutabile, *quod ab aduersario potest leniter mutatū, ex contraria parte dici, uel quod aduersarius in suā utilitatē deflectere pōt.*

Longum, *quod pluribus uerbis aut sententijs, ultrà quàm satis est, producitur.*

Apparatum, *quod nimium splendidis & affectatis uerbis compositum.*

Separatum, *quod nō ex ipsa causa ductum, nec sicut aliquod membrū annexū orationi.*

Translatum, *quod aliunde tractum, efficit aliud, quàm genus suæ causæ postulat.*

Contra præcepta, *quod nihil eorum efficit, quorū causa de exordijs præcepta traduntur.*

DE NARRATIONE.

Narrationum tria genera sunt.

I. Ciuile, *quo exponimus rem gestā, et unūquodque trahimus ad utilitatem nostram, uincendi causa.*

II. Digressorium, *quod intercurrit nonnunquam, aut fidei, aut criminationis, aut transitionis, aut alicuius apparationis, uel laudationis causa.*

III. Remotū, *quod à ciuili causa seiunctū est, in quo tamen exerceri conuenit, quò commodius illas superiores narrationes in causis tractare poßimus.*

Eius

Eius narrationis duo sunt genera.

Vnum, quod in negocijs positũ, habere debet

- Fabulam, *quæ neq; ueras, neq; ueri similes cõtinet res, ut eæ, quæ Tragœdijs traditæ sunt.*
- Historiam, *quæ res gesta est, sed ab ætatis nostræ memoria remota.*
- Argumentum, *est ficta res, quæ tamen fieri potuit, uelut argumenta Comœdiarum.*

Alterũ, quod in personis collocatum, quod recipit

- Sermonis festiuitatem, *animi dißimilitudinem, grauitatem, lenitatem, spem, metum, suspitionẽ, desiderium, dißimulationem, misericordiam, rerũ uarietates, fortunæ commutationem, insperatũ incommodum, subitam lætitiam, iucundum exitum rerum.*

DE NARRATIONVM uirtutibus.

Narrationem, quæ pertinet ad ueritatem, oportet tres habere res.

I. Vt breuis sit: *Breuiter autem narrare poterimus, si inde incipiemus narrare, unde necesse erit,*

et si non ab ultimo initio repetere uolemus: & si summatim, non particulatim narrabimus: & si non ad extremum, sed usq; eò, quò opus erit, prosequemur: & si transitionibus nullis utemur: & si non deerrabimus ab eo, quod cœpimus exponere: & si exitus rerum ita exponèmus, ut antè quoq; quæ facta sunt, sciri poßint, tametsi nos reticuerimus. Et omnino non modò id quod obest, sed etiã id, quod neq; obest, neq; adiuuat, satius est præterire. Et ne bis, aut sæpius idẽ dicamus, cauendum est etiam, ne id, quod semel suprà diximus, deinceps dicamus.

II. Vt dilucida sit. Rem autem dilucidè narrabimus, si ut quicq; primum gestũ erit, ita primũ exponemus, & rerum & temporum ordinem conseruabimus, ut gestæ res erunt, aut ut potuisse geri uidebuntur. Hic erit considerandum, ne quid perturbatè, ne quid contortè, ne quid ambiguè, ne quid nouè dicamus, ne quam in aliam rem transeamus, ne ab ultimo repetamus, ne lõgè prosequamur, ne quid quod ad rem pertineat, prætereamus: et si persequemur ea, quæ de breuitate præcepta sunt. Nam quò breuior, eò dilucidior, & cognitu facilior narratio fiet.

III. Vt uerisimilis sit. Probabilis autem erit, si ut mos, ut opinio, ut natura postulat, dicemus, si spacia temporum, personarum dignitates, consiliorum rationes, locorum oportunitates constabunt, ne re-

felli poßit, aut temporis parum fuisse, aut causam nullam, aut locum idoneum non fuisse, aut homines ipsos facere, aut pati non potuisse.

DE DIVISIONE, TERTIA inuentionis parte.

Diuisionis seu partitionis duæ sunt partes.

I. Seiunctio, est ratio, per quam aperimus, quid nobis conueniat cum aduersario, ut quid in controuersia sit, seiungatur, hoc modo: Interfectam esse ab Oreste matrem, conuenit mihi cum aduersarijs: iure ne fecerit, & licuerit ne facere id in controuersia est. Item è contrario: Agamemnonem esse à Clytemnestra occisum confitentur, cùm id ita sit, me ulcisci parentem negant oportuisse.

II. Distributio est, qua exponimus, quibus de rebus dicturi sumus.

Eius partes duæ sunt:

- Expositio, est oratio, qua exponimus res, de quibus dicturi sumus breuiter & absolutè, sine enumeratione.
- Enumeratio, qua exponimus numero, quot de rebus dicturi sumus. Eã dicunt oportere trium partium numero esse. Periculosum enim esse, ne quando plus minusq; dicamus, & suspicionẽ afferat auditori meditationis

nis & artificij. Quæ res fidem abrogat Oratori. Attamen hoc numero uelut lege, non est alliganda, cùm poßit causa plures desiderare, ut ait Quintilianus.

DE CONFIRMATIONE AC Confutatione, quarta & quinta Inuentionis partibus.

Omnes res confirmantur ex ijs, quæ ducuntur

- à personis quæ cõtinent: Genus, natione͂, patriam, sexum, ætate͂, educationem, habitum, fortunã, cõditionem, naturam; studium, affectionem, antè dicta, uel acta, cõsilium, nomen &c.
- à negocijs quorum alia sunt
  - Cum ipso negocio continentia, quæ habent summam causæ, quid antè factum, quid in re factum, quid pòst factum.
  - In negocij gestione, in qua
    - Causa, in qua Impulsio & Ratiocinatio.
    - Locus, frequens, desertus: propinquus, lõginquus: superior, inferior, prophanus, sacer: consitus, incultus: publicus, priuatus.
    - Tempus, in quo occa-

sio, quæ distribuitur in publicum, commune, singulare.
Modus, in quo prudentia & imprudentia.
Facultas, quæ habet instrumenta, rerum copiam, antecedentia, res anteactas, signa &c.

Ab argumentis generalibus, quæ sumuntur ab utili, iusto, legitimo, honesto, iucundo, facili, poßibili, necessario, simili, contrario &c.

Ab argumentis extrinsecus in causam adductis, quæ trahuntur à testamentis, iureiurando, tabulis, rumoribus, testibus, iconibus, & signis, oraculis, religione, præiudicijs.

Item ab argumentis, quæ trahuntur à finitione, proprio, etymologia, partitione, genere, specie, diuisione, contrarijs, repugnantibus, adiunctis, coniugatis, effectibus, comparatis, imagine, collatione, exemplis, & similibus.

DE CONFVTATIONE.

Confirmationis atq; refutationis conditio similis est. Neq; enim ex alijs locis ratio argumentorum in hac parte peti potest, quàm in confirmatione.

firmatione. Nec locorum, aut sententiarum, aut uerborum, & figurarum alia conditio est. Adfectus tamen hæc pars mitiores habet. Porrò tota spes uincendi, ratioq; persuadendi posita est in confirmatione, & confutatione. Nam cùm adiumenta nostra exposuerimus, contrariaq; dissoluerimus, absolutè nimirum munus oratorium confecerimus. Vtrunq; igitur facere poterimus, si constitutionem causæ cognouerimus.

DE CAVSARVM CONstitutionibus.

Constitutio est prima deprecatio defensoris, cum accusatoris insimulatione coniuncta.

Constitutiones tres sunt.

I. Coniecturalis, cuius partes sex:
- Probabile, Collatio,
- Signum, Argumentum,
- Consecutio, Approbatio.

II. Legitima, quæ diuiditur in partes sex.
- Scriptum & sententiam.
- Contrarias leges,
- Ambiguum,
- Definitionem,
- Translationem,
- Ratiocinationem.

- III. Iuridicialis, cuius partes duæ:
  - Absoluta, quæ constat
    - Natura, lege,
    - Consuetudine, iudicato,
    - Aequo, & bono,
    - Pacto,
  - Assumptiua, cuius partes sunt
    - Concessio cuius partes:
      - Purgatio, diuiditur in
        - Necessitatem,
        - Fortunam,
        - Imprudentiã.
      - Deprecatio.
    - Remotio criminis,
    - Translatio criminis,
    - Comparatio,

LIBER SECVNDVS.

DE CAVSA CONiecturali.

CONIECTVRALIS status est, quum de facto controuersia est, hoc modo: Aiax in syl ua postquam resciuit, quae fecisset per insaniam, gladio incubuit, Vlysses interuenit, occisum conspicatur, è corpore cruentum telũ educit, Teucer interuenit, cùm fratrem occisum, & inimicum fratris cum gladio uidet, capitis arceßit. Hîc, quoniam coniectura uerum quaeritur, de facto erit controuersia, & ex eo constitutio causae coniecturalis nominatur, In qua narratio accusatoris suspiciones interiectas & dispersas habere debet, ut nihil actum, nihil dictum, nusquam uentũ, aut abitum, nihil deniq; factũ sine causa putetur. Defensoris narratio simplicem & dilucidam expositionem debet habere, cum attenuatione suspicionis.

DE PRIMA CAVSAE CONiecturalis parte, Probabili.

Probabile est, per quod probatur expedisse reo peccare, & à simili turpitudine hominem nunquam abfuisse.

Probabile diuiditur in
- Causam, quæ inducit ad maleficium, commodorum spe, aut incommodorum euitatione. Hæc habet
  - Impulsionem, Hæc est temerarius impetus animi ad faciendum aliquid temere, ut cupiditas nimia, uiolentia, iracundia, metus, amor, & omnino omnis perturbatio animi, quæ consilium non admittit.
  - Ratiocinationem, quæ diligens est & considerata faciendi aliquid aut non faciendi excogitatio, ut si quid factum dicetur amicitiæ, gloriæ, pecuniæ, aut alicuius retinendi, augendi, adipiscendiue, commodi, aut contrà, reijciendi, diminuendi, deuitandiue incommodi causa.
- Personarũ adiũcta, quæ sunt
  - Vita, uictus, studia, facta, dicta consilia, &c.

DE CAVSIS.

In causis quæritur, num quod commodũ maleficio reus acquisierit, num honorem, num pecuniam, num dominationem, num aliquam cupiditatem amoris, aut huiusmodi libidinis uoluerit explere. Aut nũ quod incommodum uitarit, inimicitias, infamiã, dolorem, supplicium. Hîc accusator in spe commodi, cupiditatem ostendet aduersarij. In euitatione incommodi formidinem augebit. Defensor autẽ negabit causam fuisse, si potuerit, aut eam uehementer extenuabit. Deinde iniquum esse dicet, omnes ad quos aliquid emolumenti ex aliqua re peruenerit, in suspicionem maleficij deuocari.

DE PERSONARVM uita.

Vita hominis ex antè factis spectabitur. In quo primum considerabit accusator, num quando simile quid fecerit. Si id non reperiet, quæretur, num quando uenerit in similem suspicionem, & in eo debebit esse occupatus, ut ad eam causam peccati, quam paulo antè exposuerit, uita hominis possit accommodari, hoc modo: Si dicet pecuniæ causa fecisse, ostendet eum semper auarum fuisse: Si honoris, ambitiosum, ita poterit animi uitium cum causa peccati conglutinare. Si non poterit par animi uitiũ cum causa reperire, reperiat dispar. Si non poterit

auarum demonstrare, demonstret corruptorem, uel perfidũ, si quoquo modo poterit, quem pecuniæ causa dicet fecisse. Deniq; aliquo, aut quàm plurimis uitijs contaminabit personam. Deinde, qui fecerit illud tam nequiter, eundem hunc tam perperam fecisse nõ esse mirandum. Si uehementer castus & integer existimabitur aduersarius, facta, non famam spectari oportere, illum antea occultasse sua flagitia, se planũ facturum, ab eo maleficium non abesse.

Defensor primùm demonstrabit uitam integrã si potuerit, id si non poterit, confugiet ad imprudentiam, stultitiam, adolescentiam, uim, persuasionem. Aut dicet falsos rumores sparsos de innocente. Rumoribus credi non oportere. Aut extrema utetur defensione, dicens: non se de moribus eius apud censores, sed de criminibus aduersariorum apud iudices dicere.

DE SECVNDA CONIECturalis constitutionis parte, collatione.

Collatio est, cùm accusator id, quod aduersarium fecisse criminatur, alij nemini, nisi reo bonũ fuisse demonstrat, aut alium neminem potuisse perficere nisi aduersarium, aut eum ipsum alijs rationibus aut non æquè commodè potuisse, aut eum effugisse alias rationes cõmodiores propter cupiditatem. Defensoris

foris erit hoc loco demonstrare, alijs quoq; bonum fuisse, aut alijs quoq; id, quo ipse insimuletur, facere.

DE SIGNO.

In signo sex partes quæruntur.

Locus, celebris an desertus, semper desertus, an tũ, cùm id factum sit: sacer an prophanus, publicus an priuatus fuerit, cuiusmodi loci attinguntur, nũ qui passus cædẽ perspectus & exauditus esse poßit?

Tempus, qua parte anni, qua hora, noctu an interdiu, & qua diei, & qua noctis hora factum esse dicatur, & cuiusmodi temporibus?

Spacium, satis ne longum fuerit ad eam rem transigendam, & potuerit ne scire, satis ad perficiendum spacij futurum?

Occasio, idonea ne satis fuerit, ad rẽ adoriendam, an alia melior, quæ aut præterita sit, aut non expectata.

Spes perficiendi, si reliqua signa concurrerint, si ex altera parte, uires, pecunia, consilium, scientia, apparatio, ex altera parte imbecillitas, inopia, stultitia, imprudentia, inapparatio, demonstrabitur fuisse.

Spes cælandi, ex conscijs, arbitris, adiutoribus, liberis, aut seruis.

DE

DE ARGVMENTIS.

Argumentũ eſt, per quod res coarguitur certioribus argumentis, & magis firma ſuſpicione.

Hic quærũtur tria tẽpora.

Præteritum, *ubi fuerit, ubi aut quo cum uiſus ſit, num quid apparârit, num quem conuenerit, num quid dixerit, num quem habuerit de conſcijs, adiutoribus, adiumentis, num quo in loco præter conſuetudinem fuerit, aut alieno tempore.*

Inſtans, *num uiſus ſit cùm faciebat, num qui ſtrepitus, clamor, crepitus exauditus ſit, num quid aliquo ſenſu perceptum, aſpectu, auditu, tactu, odore, guſtatu.*

Conſequens, *num quid re tranſacta relictum ſit, quod indicet, aut factum eſſe maleficium, aut à quo factum ſit.*

DE CONSECVTIONE.

Cõſecutio eſt, cùm quæritur, quæ ſigna nocentis & innocentis conſequi ſoleant.

Accuſator *dicet, ſi poterit, aduerſarium, cùm*

ad eum

ad eum uentũ sit, erubuiſſe, expalluiſſe, titubaſſe, inconſtanter locutum eſſe, concidiſſe, pollicitũ eſſe aliquid, quæ ſigna conſcientiæ. Si reus horum nihil fecerit, dicet eum uſq; adeò præmeditatũ fuiſſe, quid ſibi eſſet uſui futurum, ut confidentiſsimè reſiſtens reſpõderet, quæ ſigna confidentiæ, non innocentiæ ſunt.

Defenſor, ſi pertimuerit, magnitudine periculi, non conſcientia peccati, commodum eſſe dicet. Si non pertimuerit, fretum innocentia negabit eſſe cõmotum.

DE APPROBATIONE.

Approbatio eſt, qua utimur ad extremum confirmata ſuſpicione.

In ea ſunt loci:

Proprij, quibus niſi accuſator poteſt uti, & ij, quibus niſi defenſor. Accuſatoris proprius eſt locus, cùm dicit: Malorum miſereri non oportere, & cùm auget criminis atrocitatem. Defenſoris, cùm miſericordiam captat, et cùm accuſatorem calumniari criminatur.

Communes ſunt, quũ alia in cauſa ab reo, alia ab accuſatore tractantur. Sunt autem communes cùm accuſatoris, tum defenſoris loci. A teſtibus, contra teſtes. A quæſtionibus, contra quæſtiones. Ab argumentis, cõtra argumenta. A rumoribus, contra rumores.

DE

DE LEGITIMA CONstitutione.

Legitima constitutio est, cùm in scripto aut ex scriptis aliquid controuersiæ nascitur.

Ea diuiditur in sex partes { *Scriptum & sententiam, Contrarias leges, Ambiguum, Definitionem, Translationem, Ratiocinationem.*

DE SCRIPTO ET sententia.

Ex scripto *& sententia nascitur controuersia, cùm uidetur scriptoris uoluntas cũ scripto ipso dissentire, ut in* Oratione *pro* A. Cluentio, *ubi aduersarij legis sententiam ad omnes ciues* Romanos *trahere nituntur. Cicero uerò in legis scripto persistit, quæ solum de senatorij ordinis hominibus loquitur.*

DE SCRIPTO.

A scripto *dicturi, secundum narrationem argumenta sumemus.*

A Scriptoris *collaudatione.*

A Scripti recitatione.

A Percunctatione. *Scirent ne aduerſarij id ſcriptũ fuiſſe in lege, aut teſtamento, aut ſtipulatione.*

A Collatione, *Quid ſcriptum ſit, quid aduerſarij ſe feciſſe dicant, quid iudicem ſequi conueniat, utrum id, quod diligenter perſcriptum ſit, an id quod acutè ſit excogitatum.*

A Contemptione, *& infirmatione eius ſententiæ, quæ ab aduerſarijs excogitata, & ſcripto attributa.*

A Quæſtione, *Qua rogabimus, quid ei obfuerit ſi id uoluiſſet ſcribere, ut nõ potuerit perſcribere.*

A Sententia & cauſa, *Quare id ſcriptor ſenſerit, quod ſcripſerit. Demonſtrabitur autem id eſſe ſcriptum dilucidè, breuiter, commodè, perfectè, certa cum ratione.*

Ab Exemplis rerum, *Quæ, cùm aduerſarijs ſententia redderetur, & uoluntas adferretur, à ſcripto potius iudicatæ ſint.*

Ab Oſtenſione periculi, *quod à ſcripti receſſione dicemus oboriturum.*

A Loco communi, *contra eum, qui cùm fateatur ſe contra id quod legibus ſancitum eſt, aut teſtamento perſcriptũ ſit, feciſſe, tamen facti quærat defenſionem.*

DE VOLVNTATE, uel ſententia.

A ſen-

A sententijs dicturi, secundum narrationem proferemus

- Scriptoris laudem, quòd commodus atq; breuis id totum scripserit, quod necesse fuerit. Illud, quod sine scripto intelligi potuerit, non necessariò scribendum putarit.
- Calumniatoris officiũ esse, uerba & literas sequi, negligere uoluntatẽ.
- Id quod scriptũ sit, aut nõ posse fieri, aut nõ lege, non more, non natura, non bono & æquo posse fieri. Quæ omnia uoluisse scriptorẽ quã rectißimè fieri nemo dubitet. At ea, quæ nobis facta sunt, iustißimè facta.
- Contrariam sententiam, aut nullam esse, aut stultam, aut iniustam, aut non posse fieri, aut non constare cum superioribus & inferioribus sententijs, aut cum iure communi, aut cum alijs legibus cõmunibus, aut cum rebus iudicatis dissentire.
- Enumerationem exemplorum, à uoluntate, & contra scriptum iudicatorum.
- Adductionem legum, & stipulationem breuiter exceptarũ, in quibus intelligatur scriptorum uoluntas, & expositio.
- Locum communem, contra eum, qui scriptũ recitet, & uoluntatem scriptoris non interpretetur.

DE CONTRARIIS Legibus.

Ex contrariis legibus controuersia constat, cùm alia lex iubet, aut permittit, alia uetat quippiam fieri.

Contrarias leges sic absoluemus:

- Videbimus, num quæ abrogatio, uel derogatio sit, & num ita dissentiãt, ut altera iubeat, altera uetet: an ita, ut altera cogat, altera permittat.
- Vtemur nostræ legis expositione, recitatione, collaudatione.
- Enodabimus legis contrariæ uolũtatem, & eam trahemus ad nostræ causæ commodum.
- Sumemus de Iuridiciali absoluta rationem iuris, & quæremus partem iuris, an cum ea faciat.

DE AMBIGVO.

Ex ambiguo controuersia nascitur, quum scriptum duas aut plures res significat.

In cuius tractatione quæ rendum & ostendēdum,

- *Sit ne ambiguum.*
- *Quomodo, uel quã do scriptum esset, si id quod aduersarij interpretãtur, scriptor fieri uoluisset.*
- Id quod nos *interpretemur, & fieri posse, & honestè, rectè, lege, more, natura, bono, & æquo. Quod aduersarij interpretãtur è contrario,*

DE DEFINITIONE.

Ex definitione causa cõstat, cùm in controuersia est, quo nomine factũ appellet.

Qua usuri

- Adseremus breuem uo*cabuli definitionem & sententiam breuiter, et ad utilitatem accommodatam causæ describemus.*
- Coniungemus *factũ nostrum cum uerbi descriptione.*
- Refellemus contrariæ *descriptionis rationes, si aut falsa erit, aut inutilis, aut turpis, aut iniuriosa.*

DE TRANSLATIONE.

Ex Translatione *controuersia nascitur, cùm aut tempus differendum, aut accusatorem mutandũ aut iudices mutandos reus dicet.*

Hîc erit quæren dum:

- Num *aliquis eius rei actionem, petitionem, aut executionem habeat, quem nõ oporteat.*
- Num alio *modo, tempore, loco, lege.*
- Num alio *quærente, aut agente.* Quæ *omnia legibus, & moribus, æquo & bono reperientur.*

DE RATIOCINATIONE.

Ex Ratiocinatione *controuersia cõstat, cùm res sine propria lege uenit in iudicium, quæ tamen ab alijs legibus similitudinem quandam aucupatur.*

In hac quæretur:

- Ecquid *in rebus maioribus, aut minoribus, aut similibus, similiter scriptum, aut iudicatum sit.*
- Vtrum *ea res similis sit ei rei, de qua agitur, an dißimilis.*
- Vtrum *consultò de ea re scriptum non sit, quod noluerit cauere, an quod satis cautum putarit, propter cæterorum scriptorum similitudinem.*

COMPENDIVM

DE IVRIDICIALI constitutione.

Constitutio iuridicialis est quum factū conuenit, sed iure, an iniuria factum sit, quæritur. Vel in qua æqui, & iniqui natura, & præmij, aut pœnæ ratio quæritur.

DE IVRIDICIALI absoluta.

Iuridicialis absoluta est, quum id ipsum *quod factum est, ut aliud nihil foris assumatur, rectè factum esse dicemus. Hæc non implicitè, nec absconditè, sed patentius, & expeditius recti & non recti quæstionem continet.*

Cuius

Naturæ ius quod cognationis aut pietatis causa obseruatur, quo iure parentes à liberis, & à parentibus liberi coluntur. Quod nō opinio, sed quædam nobis innata uis inseruit. Diuiditur in religionem, pietatem, gratiam, uindicationem, obseruantiam, ueritatem.

Legis ius, id quod populi iussu sancitum est, quod genus, ut in ius eas, cùm uoceris.

Cuius partes sunt sex

Consuetudinis ius, id quod sine lege æquè ac si legitimum sit, usitatum est.

Iudicatum est id, de quo sententia lata est, aut decretum interpositū, ea sæpe diuersa sunt, ut aliud alij Iudici, aut prætori, aut consuli placitum sit.

Aequi & boni ius, quod ad ueritatem, & utilitatem communem uidetur pertinere. Quod genus, ut maior annis LX. cognitorem det.

Pactum, quod inter aliquos conuenit; quod iam ita iustum putatur, ut iure præstare dicatur.

DE IVRIDICIALI Adſumptiua.

Adſumptiua eſt, cùm per ſe defenſio infirma eſt, ſed adſumpta extranea re cõprobatur. Vel: *Quum ex ſe factum probari non poteſt, aliquo autem foris adiuncto argumento, defenditur. Partes habet: Conceßionem, Remotionem criminis, Translationem criminis, & Comparationem.*

DE CONCESSIONE.

Conceſsio *eſt, quum reus ſibi poſtulat ignoſci. Vel: Per quam non factum ipſum improbatur à reo, ſed ut ignoſcatur, id petitur. Huius duæ ſunt partes: Purgatio, & Deprecatio.*

DE PVRGATIONE.

Purgatio *eſt, quum conſultò ſe negat reus feciſſe, quum non factum ipſum, ſed uoluntas defenditur. Ea habet tres partes: Neceßitudinem, Fortunam, & Imprudentiam.*

DE NECESSITVDINE.

Neceſsitudo *infertur, quum ui quadam reus id quod fecerit, feciſſe defenditur.*

In qua

In qua considerandum erit

- Num per culpam uentum sit in necessitudinem, num culpam ueniendi necessitudo fecerit.
- Ecquo modo uis illa uitari potuerit, aut leuari.
- Expertus ne sit, qui in hanc causam confert, quid contrà facere, aut excogitari posset.
- Num quæ suspiciones ex coniecturali trahi posint, quæ significẽt id consultò factum esse.
- Si maximè necessitudo quæpiã fuerit, conueniat ne eam idoneam satis causam putari.

DE FORTVNA.

Fortuna, uel casus inferetur in Concessionem, quum demonstrabitur aliqua uis fortunæ uoluntati obstitisse. Hîc eadem omnia uidentur consideranda, quæ de necessitudine præscripta sunt.

DE IMPRVDENTIA.

Imprudentia est, quum sciuisse aliquid is, quì arguitur, negatur.

In qua quæretur

Vtrum potuerit ſcire, an non potuerit? Vtrum data ſit opera, ut ſciretur, an non? Vtrum caſu neſcierit, an culpa. Nam qui ſe per uinum, aut amorem, aut iracundiam feciſſe dicet, is animi uitio uidebitur neſciſſe, non imprudentia, quare non imprudentia ſe defendet, ſed culpa contaminabitur.

Ex coniecturali conſtitutione. Vtrum ſcierit, an ignorauerit. Et ſatis ne imprudentia præſidij debeat eſſe, quum factum eſſe conſtet.

DE COMMVNIBVS HArum cauſarum locis.

Loci cōmunes

Accuſatoris eſt, confeßio contra eum, qui quum peccaſſe confiteatur, tamen oratione iudices moretur.

Defenſoris eſt conquæſtio calamitatis. Dicet humanitatem, miſericordiā, uoluntatem in omnibus rebus ſpectari conuenire, & quæ conſulto facta non ſint, in ijs fraudem eſſe non oportere.

DE PARTE CONCESſionis altera, Deprecatione.

Depre-

Deprecatio est, cū & peccasse, & consultò fecisse confitetur, & tamē postulat, ut sui misereatur. Vel in qua nō defensio facti, sed ignoscēdi postulatio continetur. Locū habet in senatu, et apud populū, et apud principē, & ubicunq; iuris est clementia, ut ait Quintilianus. Vtemur aūt ea, cùm fatebimur nos peccasse, neq; id imprudēter, aut fortuitu, aut necessariò fecisse dicemus, & tamē ignosci nobis postulabimus.

Hic ignoscendi ratio quæritur ex his locis:

- Si plura aut maiora officia, quàm maleficia uidebuntur constare.
- Si qua uirtus, aut nobilitas erit in eo, qui supplicabit.
- Si qua spes erit usui futurum, si sine supplicio discesserit.
- Si ipse ille supplex, mansuetus, & misericors in potestatibus ostendetur fuisse.
- Si ea, quæ peccauit, non odio, nō crudelitate, sed officio, & certo studio cōmotus fecit.
- Si tali de causa, alijs quoque ignotum sit.
- Si nihil ab eo periculi nobis futurum uidebitur, si eum missum fecerimus.
- Si nulla, aut à nostris ciuibus, aut ab aliqua ciuitate uituperatio, ex ea re suscipietur.

COMPENDIVM

DE COMMVNIBVS huius causæ locis.

Locus *communis Defensoris, de Humanitate, Fortuna, Misericordia, Rerum commutatione.*

Accusator *omnibus his locis utetur ex contrario cum amplificatione & enumeratione peccatorũ.*

DE REMOTIONE CRIminis.

Ex Remotione *criminis causa constat, cùm à nobis non crimen, sed culpam ipsam amouerimus.*

Id fit biperti tò. Nam causa peccati re mouetur uel in

- Hominem, Hîc quærendũ:
  - *Potuerit ne tantum, quantum reus demonstrabit is, in quem causa conferetur.*
  - *Quonã modo, aut honestè, aut sine periculo potuerit obsistere.*
  - *Si maximè ita sit, num ea re concedi reo conueniat, quod alieno inductu fecerit.*
- Rem, Hîc eadẽ *ferè, et õnia quæ de necessitudine præcepimus, consideranda sunt.*
  - *Ex coniecturali controuersia, num consultò factum sit.*

DE

DE TRANSLATIONE criminis.

Translatio, *quum fecisse nos non negamus, sed aliorum peccatis coactos esse dicimus.*

In hac quærendum est:

Veréne in alium crimen transferatur.

An æquè magnũ sit illud peccatum, quod in aliũ trãsferatur, atq; quod reus suscepisse dicatur.

Oportuerit ne in ea re peccare, in qua alius antè peccarit.

Oportuerit ne iudicium antè fieri.

Quum factum iudiciũ nõ sit, de illo crimine, quod in alium transferatur, oporteat ne de ea re iudiciũ fieri, quæ res in iudicium non venerit.

DE LOCIS HVIVS CONtrouersiæ communibus.

Loci communes

Accusatoris. *Hic dicet plus vim, quàm iudicia valere oportere, percũctabitur, quid futurum sit, si idẽ cæteri faciãt, ut de indẽnatis supplicium sumãt, quod eos idem fecisse dicat: Quid si ipse accusatori idẽ facere voluisset?*

Defensoris: *Hic eorũ peccati atrocitatẽ proferet, in quos crimen transferetur, rem, locum, tempus ante oculos ponet, ut ij, qui audient, existiment aut non potuisse, aut non fuisse utile rem in iudicium venire.*

DE

DE COMPARATIONE.

Comparatio, cùm dicimus necesse fuisse, alterum facere, et id quod fecerimus, satius fuisse facere.

Hic quæri conuenit:

Vtrum fuerit utilius ex contentione, hoc est, utrum uenustius, facilius, conducibilius.

Ipsum oportuerit ne indicare, utrũ fuerit utilius, an aliorũ fuerit utilius statuẽdi potestas.

Ecqua sit ex coniecturali suspicio, quare putetur non ea ratione factum esse, quò melius deteriori anteponeretur, sed dolo malo negocium gestum.

Potuerit ne uitari, ne in eũ locũ ueniretur.

Hi loci à defensore tractabuntur ex contrario, ac refelletur argumentatio coniecturalis.

DE LOCIS COMMVnibus.

Loco communi utetur

Accusator in eum, qui inutile utili præposuerit, quum statuendi non habuerit potestatẽ.

Defensor per cõquestionem, contra eos, qui æquum cẽseant, rem perniciosam utili præponi. Simul quæret ab accusatoribus & à iudicibus ipsis, quid facturi essent, si in eo loco fuissent? & tempus, locum, rem, deliberationem suam ponet ante oculos.

VNDE NASCATVR constitutio.

Ex hisce duabus inter se concurrentibus uocibus, Intentione & Depulsione nascitur quæstio, quæ dicitur, Status siue Constitutio.

Est autem Intentio, eius facti obiectio, quod in iudicium uenit. Depulsio contraria est obiectioni, id est, intentioni resistens oratio, siue negatio.

QVOMODO INVENIENDA iudicatio.

Constitutione reperta statim est quærenda Ratio. Inuenta Ratione, Firmamentum quærendum erit. Iam ex ratione defensionis, & ex Firmamento accusationis iudicij quæstio nascitur, quam nos Iudicationem, Græci κρινόμενον appellant.

Ratio autem est, quæ causam facit, & continet defensionem.

Firmamentum, quod alibi uocat infirmationem, est, quod accusationem continet, quod adfertur contra rationem defensionis.

EXEMPLA.

Intentio: Interfecisti matrem Clytemnestrã Orestes.

Depulsio: Interfeci, sed iure.

Ratio: Illa enim patrem meum Agamemnonẽ occiderat.

Firma-

Firmamentū: *Sed non abs te filio matrem indemnatam occidi decuit.*

Iudicatio: *Cùm mater Orestis patrem eius occiderit, iure ne à filio indemnata mater occisa sit.*

ALIVD EXEMPLVM.

C. Flaminius *inuito senatu, & omnino contra uoluntatem omnium optimatum, per seditionem ad populum legem Agrariam ferebat. Hunc pater suus concilium plebis habentem de templo deduxit. Accersitur maiestatis.*

Intentio: *Maiestatem minuisti, quòd tribunum plebis de tēplo deduxisti.*

Depulsio: *Non minui maiestatem.*

Quæstio: *Maiestatem ne minuerit?*

Ratio: *In filium enim quam habebam potestatem, ea sum usus.*

Rationis infirmatio: *At enim, qui patria potestate, hoc est priuata quadam, Tribunitiam potestatem, hoc est, populi potestatē infirmat, minuit maiestatem.*

Iudicatio: *Minuátne is maiestatem, qui in Tribunitiam potestatem patria potestate utatur.*

ALIVD

ALIVD EXEMPLVM.

Rhodij quosdā legarunt Athenas, legatis quæstores sumptum, quem oportebat dari, non dederunt. Legati profecti non sunt. Accusantur.

Intentio: Proficisci oportuit.
Depulsio: Non oportuit.
Quæstio: Oportuerit ne?
Ratio: Sumptus enim, qui de populo dari solebat, is à quæstore non est datus.
Firmamentū: Vos tamen id, quod publicè uobis datum erat negocij, conficere oportebat.
Iudicatio: Cùm ijs, qui legati erant, sumptus debebatur, qui de publico non daretur, oportuerit ne eos cōficere nihilominus legationē.

Notabis in Coniecturali nec ratione quæri, nec Firmamentum. Quare ex Intentione, & Inficiatione Iudicatio cōstituitur. Vt: Occidisti Aiacem Vlysses. Inficiatio: Non occidi. Iudicatio: Occiderit ne.

DE ARGVMENTATIONIBVS.

Argumentum est ratio dubiæ rei faciens fidem.

Argumentatio, est argumenti per orationem explicatio. Vel: Est argumenti tractatio, dilatatio, atq; ornatio, ut ait Maturantius.

Argu-

Argumentationis perfectissimæ partes sunt quinq;.

I. Propositio est, per quam ostẽdimus summatim quid sit, quod probare uolumus, ut causam ostendemus Vlyßi fuisse, quare interfecerit Aiacem.

II. Ratio, est causa, quæ demonstrat id uerum esse, quod intendimus, breui subiectione, ut: Inimicum enim acerrimum de medio tollere uolebat, à quo sibi cum iniuria summum periculum metuebat.

III. Confirmatio rationis est, quæ pluribus argumentis corroborat breuiter expositam rationem, ut: Videbat illo incolumi, se incolumem non futurũ, sperabat illius morte, se salutem sibi comparare. Consueuerat, si iure non poterat, quauis iniuria inimico exitium machinari. Cui rei mors indigna Palamedis testimonium dat: Ergo & metus periculi hortabatur eum interimere, à quo supplicium uerebatur, consuetudo peccandi, maleficij suspiciendi remouebat dubitationem.

IIII. Exornatio est, qua utimur rei honestandæ aut locupletãdæ causa, cõfirmata argumentatione, ut: Omnes enim cum minima de causa peccata suscipiunt, tum uerò illa, quæ multo maxima sunt maleficia, aliquo certo emolumento inducti suscipere conantur. Si multos induxit in peccatum pecuniæ spes, Si complures scelere se contaminauerunt imperij cupiditate,

piditate. Si multi leue compendium fraude maxima commutarunt, cui mirum uidebitur, istum à maleficio propter acerrimam formidinem non temperasse? Virum fortißimum, integerrimum, inimicitiarũ persequentißimum iniuria laceßitum, ira excitatum, homo timidus, nocens, conscius sui peccati, insidiosus, inimicum incolumem esse noluit, cui tandem hoc mirum uidebitur? Nam, cùm feras bestias uideamus alacres, & erectas uadere, ut alteri bestiæ noceant, non est incredibile putandum, istius quoq; animum ferũ, crudelem atq; inhumanum cupidè ad inimici perniciem profectum, præsertim cùm in bestijs nullã neq; bonam neq; malam rationem uideamus, in isto plurimas, & peßimas rationes semper fuisse intelligamus.

V. Complexio est, quæ concludit breuiter colligens partes argumentationis, ut: Si ergo pollicitus sum, me daturum causam, qua inductus Vlysses, accesserit ad maleficium, & si inimicitiarum acerrimã rationem, & periculi metum interceßisse demonstraui, non est dubium, quin confiteatur causam maleficij fuisse.

Ergo amplißima est Argumentatio quinq; partita. Breuißima autem tripartita, quæ fit, quum argumentatio breuis & res tenuis atq; humilis non opus habẽt exornatione atq; complexione. At Mediocris est quadripartita, omissa uel exornatione, uel com-

plexione. Quorum illud contingit, cùm res parum locuples uidetur, ad amplificandum uel exornandum. Hoc, quum res breuis, & memoria comprehendi poterit.

DE VITIOSIS ARGVmentationibus.

Vitiosarum argumentationum duo sunt genera:
- Vnum, quod ab aduersario reprehendi potest, idq́; pertinet ad causam.
- Alterũ, quod tametsi nugatoriũ est, tamen non indiget reprehensione.

DE VITIOSA EXPOSITIONE.

Expositio uitiosa est.

Cùm ab aliqua, aut maiore parte, ad omnes confertur id, quod nõ necessariò est omnibus attributũ, ut: Omnes, qui in paupertate sunt, malunt maleficio parare diuitias, quàm officio paupertatem tueri.

Cùm id, quod rarò fit, fieri omnino negatur, ut: nemo potest, uno aspectu, neq; præteriens in amorem incidere.

Cùm omnes res ostendemus nos collegisse, & aliquam rem idoneam præteribimus, ut: Necesse est aut à prædonib. aut ab inimicis occisum esse, aut abs te quem ille hæredem testamento ex parte faciebat.

Prædones

Prædones illo loco nunquam sunt uisi. Inimicum nullũ habuit: relinquitur, si neq; à prædonibus, neq; ab inimicis occisus est, quòd alteri non erant, alteros non habebat, abs te sit interemptus.

Cùm ex falsa enumeratione constat, ut si, cùm plura sunt, pauciora dicamus, hoc modo: Duæ res sunt, iudices, quæ omnes ad maleficium impellunt: luxuries, & auaritia.

Cùm pauciora sunt, & plura dicimus, ut: Tres res sunt, quæ omnes homines solicitant, Metus, cupiditas, ægritudo.

Cùm nimium longè repetitur, ut: Omnium malorum stultitia est mater. Quæ præ cæteris parit immensas cupiditates: immensæ porrò cupiditates, infinitæ & immoderatæ sunt: Hæ pariunt auaritiam, auaritia porrò hominem ad quoduis maleficium impellit: Igitur auaritia inducti aduersarij nostri, hoc in se facinus admiserunt.

DE VITIOSA RATIONE.

Rationum uitiosarum, alia est Vana, Quæ ex falsa causa constat, ut: Amor fugiendus non est, nam ex eo uerißima nascitur amicitia. Item: Philosophia uitanda est, adfert enim socordiam, atq; desidiam.

Alia infirma, Quæ

Non ostendit necessariò ita esse, quẽadmodum expositũ est, ut: Amicum castigare, ob meritam malam noxiam immane est facinus, uerùm in ætate utile, & conducibile. Nam ego amicum hodie meum non castigabo pro commerita noxia.

Non necessariam causam adfert expositionis, ut fortunam insanam esse & cæcam & brutã perhibent Philosophi: Cæcã, quia nihil cernat, quo se applicet: Insanã, quia atrox, incerta, instabilis: Brutam, quia dignum atq; indignum nequeat internoscere.

Pro ratione uidetur id adferre, quod in expositiõe dictũ est, ut: Magno malo est hominibus auaritia, idcirco quod homines magnis & multis incõmodis cõflictãtur propter immensam pecuniæ cupiditatẽ.

Minus idoneam, quàm res postulat, causam subijcit expositioni, ut: Vtile est, amicos ueros habere: Habes enim, quibuscum iocari poßis.

Vel alij expositioni potest accommodari, ut facit Pacuuius, qui eandem adfert rationem, quare cæca, eandem, quare bruta Fortuna.

DE

DE VITIOSA CONFIRmatione Rationis.

In cõfirmanda ratione, studiosi utũtur duplici conclusione, Vt:

- Iniuria abs te adficior pater. Nam si improbum existimaueras, cur me huic locabas nuptijs?
- Sin est probus, quur talem inuitam inuitum cogis relinquere?

Quæ conuertentur aut ex

- Contrario, ut: Nulla te indigna nata adficio iniuria. Si probus est, bene locaui: sin est improbus, diuortio te liberabo incommodis.
- Simplici parte, si ex duplici conclusione alterutra pars diluetur, ut: Nam si improbum existimaueras, cur me huic locabas nuptijs? Duxi probum, erraui: pòst cognoui, & fugio cognitum.

QVAEDAM VITIOSAE Confirmationis cautelæ.

Vitiosa rationis confirmatio est.

Cùm ea re, quæ plura significat, abutimur pro incerto unius rei signo, *ut*: Necesse est, *quoniam pallet, ægrotasse*. Necesse est peperisse, *quoniam sustinet puerum infantem*.

Cùm *uel in alium, uel in eum ipsum, qui dicit id quod in aduersariũ dicitur, potest conuenire, ut*: Miseri *sunt, qui uxores ducunt. At tu duxisti alteram.*

Quæ uulgarem habet defensionem, ut: Iracundia *inductus peccauit, aut adolescentia, aut amore.*

In qua pro certo sumitur id, quod inter omnes nõ constat, ut: Eho tu, Dij, *quibus est potestas superûm, atq; inferûm, pacem inter se conciliant, cõferunt concordiam.*

In qua, quod iam quasi serò, atq; acto negocio dici uidetur, ut: In mentem mihi si uenisset Quirites, *non commisissem, ut hunc in locum res ueniret. Nã hoc, aut hoc fecissem. Sed me tum hæc ratio fugit.*

Cùm id, quod in aperto delicto positum est, tamẽ aliqua leui tegitur defensione, ut: Cùm te expetebant *omnes, florentißimo regno reliqui, nunc desertum ab*

omnibus,

omnibus, summo periculo solus ut restituam, paro.

In qua id, quod in aliam partem, ac dictum sit, potest accipi, ut si factiosus dicat: Satius est uti regibus, quàm malis legibus.

Quæ falsis, aut uulgaribus definitionibus utitur. Falsis, ut: Iniuria nulla est, nisi quæ ex pulsatione, aut conuitio constat. Vulgaribus, ut: Quadruplator est capitalis. Est enim improbus, & pestifer ciuis.

Quæ pro argumento sumit, quod in disquisitione positum est, ut: Si quis quem furti arguat, dicat eum esse hominem improbum, auarum, fraudulentũ, Ei rei testimonium esse, quòd sibi furtum fecerit.

Quæ controuersiam controuersia dissoluit, ut: Non conuenit Censores, istum uerbis satisfacere, ex eo, quòd ait, se non potuisse adesse, ita ut iuratus fuerat, quòd ad exercitum non uenisset, id Tribuno militum diceret.

Cùm id, de quo summa controuersia est, parũ expeditur, & quasi transactum sit, relinquitur, ut aperte fatur dictio, si intelligas: Tali dari arma, qualis qui gessit, fuit, Iubet potiri si studeamus Pergamo. Quæ ego profiteor esse mea, Nam me æquum est frui fraternis armis, mihiq; adiudicarier, uel quòd propinquus, uel quòd uirtute æmulus.

In qua ipse, quid dicit, sibi in sua oratione dissentit, & contra ea, quæ dixerit, dicit, ut: Qua causa accusem hunc, nequeo exponendo euoluere. Nam si ueretur, quid eum accusem, qui probus est. Sin inuerecundum animi ingenium poßidet: quid eum accusem, qui id parui auditu existimet. Nūc ego te à summo iam detexam exordio.

In qua quid dicitur contra Iudicis uoluntatē, aut eorum, qui audiunt, si aut partes, quibus illi student, aut homines, quos illi charos habent, lædant, aut aliquo huiusmodi uitio lædatur auditoris uoluntas.

In qua non omnes res, quæ fuerint in expositione promissæ, confirmantur.

In qua de alia re dicitur, quum alia de re controuersia sit, aut additur quippiam, aut detrahitur, aut tota causa mutatur, ut quum de musica disputatio consumitur in uirtutis utilitatem.

In qua aliud accusatoris criminatio continet, aliud defensoris oratio purgat, ut: Si quis accusetur, ambitu magistratum petisse, ab Imperatoribus sæpenumero se apud exercitum donatum esse dicat.

In qua ars, aut scientia, aut studium aliquod uitu peratur,

peratur, propter eorum uitia, qui in eo sunt, ueluti, qui Rhetoricam uituperant, propter alicuius Oratoris uituperandam uitam.

Quæ continet id, de quo non est controuersia, ut si quis, quum Orestem accuset, planum faciat ab eo matrem esse occisam.

Quæ rem, in comparandis rebus, alteram effert, de altera mentionem non facit, aut negligentius disputat.

In qua necesse putatur, alteram rem uituperari, quum altera laudetur.

In qua de nomine, & uocabulo eius rei controuersia struitur, quam rem consuetudo potest optimè iudicare. Velut Sulpitius, qui intercesserat, ne exules, quibus causam dicere non licuisset, reducerentur, Idē posterius immutata uoluntate, quum eandem legem ferret, aliam sese ferre dicebat propter nominum cō mutationem. Nam non exules, sed ui eiectos se reducere dicebat.

DE EXORNATIONE uitiosa.

Exornatio constat ex

- Similibus,
- Exemplis,
- Iudicatis,

  Quorum uitia sunt

  - Si ex aliqua parte dißimile est, nec habet parem rationem comparationis, aut sibijpsi obest, qui adfert.
  - Si aut falsum est, ut reprehendatur, aut si improbum, ut non sit imitandum, aut maius aut minus quàm rem postulabit.
  - Si aut dißimili de re proferantur, aut de ea re, de qua controuersia non est, aut si improba, aut eiusmodi, ut aut plures, aut magis idoneæ res iudicatæ ab aduersarijs proferri poßint.

- Amplificationibus, & cæteris, quæ pertinent ad exaggerandam, & locupletandam Argumentationem. In quibus uitiosum est, de eo argumentari, atq; id planum facere, quod aduersarij factum esse confitentur. Item id augere, quod conuenit doceri.

DE COMPLEXIONE uitiosa.

Complexio *uitiosa est,* Quæ

- Non, *ut quicq; primum dictũ est, primum complectitur.*
- Non *breuiter concluditur.*
- Non *ex enumeratione certũ, & constans aliquid relinquit, quid in singulis argumentationis partibus sit demonstratum.*

DE SEXTA INVENTIONIS parte, Conclusione.

Conclusiones, quæ apud Græcos ἐπίλογοι nominantur, tripartitæ sunt.

Constant enim ex

I. Enumeratione, *per quam colligimus, & cõmonemus, quibus de rebus uerba fecerimus breuiter, ut renouetur, non redintegretur oratio, & ordine, quicquid erit dictum referamus. In qua curandũ est, ne ab exordio, aut à narratione repetatur orationis dinumeratio. Ficta enim, & dedita opera comparata oratio uidebitur esse, artificij significãdi, ingenijq; uenditandi, & memoriæ ostentandæ causa. Quapropter initium in* Enumeratione *à* Diuisione *sumendũ.* Deinde *ordine breuiter exponendæ sunt res, quæ tractatæ erunt in* Confirmatione, & Confutatione.

II. Am-

II. Amplificatione, cuius loci decem

Primus, *ab autoritate, cùm commemoramus, quantæ curæ ea res fuerit dijs immortalibus, maioribus nostris, regibus, ciuitatibus, hominibus sapientißimis, Senatui.*

Secundus, *cùm consideramus, illæ res, de quibus criminamur, ad quos pertineant, utrum ad omnes, an ad superiores, an ad pares, an ad inferiores.*

Tertius, *Quo percunctamur, quid sit euẽturum, si omnibus idem cõcedatur, & ea neglecta ostendemus, quid incõmodum cõsequatur.*

Quartus, *Quo demonstratur, si huic sit remissum, multos alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc expectatio iudicij remoratur.*

Quintus, *cùm ostendemus, si semel aliter iudicatum sit, nullam rem fore, quæ incõmodo mederi aut perperam factum corrigere poßit.*

Sextus, *cùm ostendemus & consultò factum, & dicemus uoluntario facinori nullam excusationem, imprudentiæ iustam deprecationem paratam.*

Septimus, *cùm ostendemus tetrum facinus, crudele, nefarium, tyrannicum esse.*

Octauus, *Quo ostendimus, non uulgare, sed singulare esse maleficiũ, spurcum, nefariũ, & inusitatum, quò maturius uindicandum.*

Nonus,

Nonus, Cùm dicemus per comparationē, maius esse maleficiū, stuprare ingenuam, quàm sacrum legere.

Decimus, quoties omnia, quæ in negocio gerendo acta sunt, quæq; rem consequi soleant, exponimus acriter, & criminose.

III. Commiseratione, quam breuem esse oportet. Nihil enim lachryma citius arescit.

Misericordia autem mouebitur, si

Variam fortunarū commutationem dicemus ostendēdo, in quibus commodis fuerimus, & quibus incommodis simus, comparatione.

Quæ nobis futura sint, nisi causam obtinuerimus, & enumerabimus, ostendemus.

Supplicabimus, & nos sub eorū, quorum misericordiam captabimus, potestatem subijciemus.

Quid nostris parētib. liberis, cæteris necessarijs casurum sit, propter nostras calamitates aperiemus, et simul ostēdemus illorū nos solicitudine et miseria, nō nostris incōmodis dolere.

De clementia, humanitate, misericordia nostra, qua in alios usi sumus, aperiemus.

Nos semper, aut diu in malis fuisse ostendemus.

Nostrū fatum, aut fortunā conqueremur.

Animum nostrum fortem, patientem incommodum ostendemus futurum.

LIBER

LIBER TERTIVS.

DE GENERE DELIberatiuo.

Deliberationũ duæ sunt Diuisiones

- Partim quæritur:
  - Vtrum potius faciendum sit, ut Carthago tollenda an relinquenda uideatur.
  - Quid potißimum faciendũ sit, ut: Si Annibal consultet, cũ ex Italia Carthagine accersitur, an in Italia remaneat, an domũ redeat, an Aegyptũ profectus, occupet Alexandriam.
- Partim sunt ipsæ, quæ
  - Propter se consultandæ, ut si deliberet senatus captiuos ab hostibus redimat, an non.
  - Propter aliquã extraneã causam ueniunt in deliberationem & consultationem, ut si deliberet senatus, bello Italico soluat ne legibus Scipionem, ut eum liceat ante tempus Consulem fieri.
  - Mixtę: quæ propter se sunt deliberandæ, et magis propter

extraneam

extraneam causam ueniunt in consultationem, ut si deliberet senatus, bello Italico socijs ciuitatem det, an non.

QVOMODO GENVS hoc tractari debeat.

Omnis deliberatiōis ratio conferenda est in utilitatem

- Tutā, quæ conficit instantis, aut consequenti periculi uitationem qualibet ratione. Hæc distribuitur in
  - Vim: Quæ secernitur per exercitus, classes, arma, tormenta, euocationes hominum, & alias huiusmodi res.
  - Dolum: Hic cōsumitur in pecuniam, pollicitationes, dissimulationes, maturatiōes, mentiones, & cæteras res.
- Honestam: Res autem honesta diuiditur in Rectum, & Laudabile.

Rectũ est, quod cũ uirtute & officio fit, id diuiditur in

- Prudentiam: *Hæc est calliditas, quæ ratione quadã potest delectũ habere bonorum & malorum.* Di*citur item artificij cuiusdam scientia, multarum rerum* Memoria, *cõpluriumq; negociorum usus.*
- Iustitiã: *Hæc est æquitas, ius unicuique tribuẽs pro dignitate cuiusq;.*
- Fortitudinem: *Hæc est rerũ magnarum appetitio, et rerum humilium contemptio, & laboris cum utilitatis ratione perpeßio.*
- Temperantiam: *Hæc est rationis in libidinem atq; in alios rectos impetus animi, firma & immoderata dominatio.*

Laudabile, *quod conficit honestam & præsentem & consequentem commemorationem.* Id de*monstratur*

- Ab *idoneis hominibus, ut si qua res honestiori ordini placeat, quæ à deteriore ordine improbetur.*
- Ab *aliquibus socijs:* Exteris natio*nibus, posteris nostris.* Item, *à dignitate, gloria, amplitudine &c.*

DE PRVDENTIA.

Prudentiæ partes sunt: Prouidentia, Intelligentia, Memoria.

Quibus utemur, si

Commoda cũ *incommodis cõferemus, cùm alterũ sequi, uitare alterum cohortemur.*

Qua *in re cohortabimur aliquem, cuius rei aliquam disciplinabilem scientiam poterimus habere, & quomodo, aut qua quidq; ratione fieri oporteat, ostendemus.*

Suadebimus *quippiam, cuius rei gestæ aut præsentem aut auditam memoriam poterimus habere, qua in re facilè id, quod uelimus, exemplo allato persuadere poßimus.*

DE IVSTITIA.

Iustitiæ partes sunt: Pietas, Religio, Obseruantia, Consuetudo, Lex, Natura, Par, Pactum.

Quibus utemur, si

Innocentum, *aut supplicum misereri dicemus oportere.*

Fidẽ *magnoperè censebimus cõseruandã.*

Leges *et mores ciuitatis egregiè dicemus seruari oportere.*

Societates, *atq; amicitias studiosè dicemus coli conuenire.*

Quod *ius in parẽtes, Deos, patriã natura*

comparauit, id religiosè colendum demonstrabimus.

Hospitia, *clientelas, cognationes, adfinitates castè colendas esse dicemus.*

Nec *prece, nec precio, nec gratia, nec periculo, nec simultate, à uia recta ostendemus deduci oportere.*

Dicemus *in omnibus æquabile ius statui conuenire.*

DE FORTITVDINE.

Fortitudinis partes sunt: Magnificentia, Fidentia, Patientia, Perseuerantia.

Quibus utemur, si ostendemus

Res *magnas & excelsas sequi & appeti oportere.*

Res *humiles, & indignas uiris fortibus, uiros fortes contemnere oportere, nec idoneas dignitate sua iudicare.*

A nulla *re honesta, periculi aut laboris magnitudine deduci oportere.*

Antiquiorem *mortem turpitudine haberi.*

Nullo *dolore cogi, ut ab officio recedatur.*

Nullius *pro rei ueritate metuere inimicitias.*

Quodlibet *pro patria, parentibus, hospitibus, amicis, atq; ijs rebus, quas iustitia colere cogit, adire periculum, & quemlibet suscipere laborem.*

DE

DE TEMPERANTIA.

Temperantiæ partes sunt: Continentia, Clementia, Modestia.

Quibus utemur, si
- Nimias libidines honoris, pecuniæ, similiumq; rerum uituperabimus.
- Vnamquamq; rem certo naturæ termino definiemus.
- Quod cuiq; satis sit, ostendemus, & nimium progredi dissuadebimus, & modum unicuiq; rei statuemus.

Notabis huiusmodi uirtutis partes amplificandas esse, si suadebimus attenuandas, si ab his dehortabimur. Sed quoniam ab aduersario prædicata uirtus non facilè poterit infirmari, debilitanda est.

Quod fiet, si dicemus, atq; demonstrabimus.

- Eiusmodi res non esse, ut egregiam possimus experiri uirtutē, & in contrarijs potius rebus quàm in his eam constare.
- Ignauiã, inertiã, & prauam libertatem esse, quam is, qui contrà dicet, iustitiam uocarit.
- Ineptam, garrulam, & odiosam scientiam esse, quam appellarit prudentiam.
- Gladiatoriã & incõsideratã temeritatem esse, quam aduersarius fortitudinem nominauerit.
- Inertiã, & dissolutam neglegẽtiam esse, quam ille temperantiã aut modestiam appellarit.

COMPENDIVM TOTIVS CAVSAE tractatio.

Hoc genus tractaturus, utetur

Principio, Insinuatione, *Iisdem rationibus, quibus in Iudiciali causa.*

Narratione, *si cuius rei inciderit.*

Diuisione: *In qua si poteris, simul & tutã, & honestam utilitatem ostendere, pollicẽberis utrumq; : Sin alterum, id simpliciter demonstrabis. Quòd si rationem tutam dices, diuisione uteris in uim, & consilium: Si rectam, atq; eius partes inciderint, uteris quadripartita.*

Confirmatione, Confutatione, Argumentationibus *artificiosis, suprà traditis.*

Conclusionibus, *præsertim, quæ rerum gestarum exemplis sint perspicuæ.*

DIGNA MEMORATV.

Qui tutã rationem sequi suadebit, his utetur locis:

Nullam *rem uiliorem esse incolumitate.*

Virtutibus *uti neminem posse, qui suas rationes in tuto non collocarit.*

Ipsos Deos *auxilio ijs non esse, qui se consultò in periculum mittunt.*

Honestum *nihil oportere existimari, quod non salutem pariat.*

ITEM

ITEM.

Qui tutæ rei præponet rationem honestam, dicet

Virtutem *nullo tempore relinquendam: Dolorem uel mortem, dedecore & infamia leuiorem esse.*

Considerandum, *quæ sit turpitudo consecutura: nullam immortalitatem, incolumitatem, aut securitatem exorituram.*

Virtute, *uel ultrò ad mortem proficisci, esse præclarum.*

Fortitudini *fortunam esse adiumento solere.*

Eum *tutè uiuere, qui honestè uiuat, non qui in præsentia tutus sit.*

Eum, *qui turpiter uiuat, incolumem in perpetuũ esse non posse.*

DE GENERE DEMONſtratiuo.

Vituperatio uel laus eſſe poteſt

- Rerum externarum, quæ caſu, aut fortuna ſecunda, aut aduerſa accidere poſſunt, ut genus, educatio, diuitiæ, poteſtates, gloriæ, ciuitates, amicitiæ, & quæ huiuſmodi ſunt, & ea, quæ his contraria.
- Corporis, quæ natura corpori attribuit commoda, aut incommoda, ut uelocitas, uires, dignitas, ualetudo, & quæ his contraria ſunt.
- Animi, quæ cõſilio, et cogitatione noſtra cõſtãt, ut prudẽtia, iuſtitia, fortitudo, tẽperãtia, & quæ cõtraria.

DE EXORDIO.

Exordium ſumetur

A perſona noſtra: Si laudabimus, id nos facere dicemus officio et ſtudio, quod eiuſmodi uirtutis ſit, ut omnes commemorare debeant uelle, quod rectum ſit: Aut ex aliorum laude oſtendere, qualis noſter, uel ipſius ſit animus. Si uituperabimus, aut meritò facere quòd ita tractati ſumus: Aut ſtudio, quòd utile putemus eſſe ab omnibus unicam malitiam, atq; malitiam

cognoſci:

cognosci: Aut quod placeat, ostendi, quod nobis displiceat ex aliorum uituperatione.

A persona eius, de quo loquemur: Si laudabimus dicemus uereri nos, ut illius facta uerbis consequi nõ poßimus. Omnes homines illius uirtutes prædicare oportere, ipsa facta omnium laudatorum eloquentiã anteire. Si uituperabimus ea, quæ uidebimus contraria, paucis uerbis commutatis disci posse, dicemus.

A persona auditorum: Si laudabimus, nihil noui, nihil apud ignaros laudemus, nos monẽdi causa pauca esse dicturos. Sin fuerit ignotus, ut talem uirũ uelint cognoscere petemus, qui in eo uirtutis studio sint, apud quos laudemus, quo ille, qui laudatus fuerit, sperare nos facilè ijs, quibus uelimus, huius facta probaturos. Si uituperabimus, pauca nos de nequitia eius, quem norint, dicturos. Si ignorent, petemus, ut cognoscant, ut malitiã uitare poßint, quoniã dißimiles sint, qui audiant, atq; ille, qui uituperatur, nos sperare illius uitam uehementer improbaturos.

A rebus ipsis: Incertos esse, quid potißimum laudemus, aut uituperemus, uereri, ne cùm multa dixerimus, plura prætereamus.

DE NARRATIONE.

Narratio non erit ulla, quæ necessariò consequatur: Sed si quid inciderit cum laude, aut uituperatione laudandum, paucis expediendum erit.

DE DIVISIONE.

In diuiſione oſtendemus
- Quas res laudaturi, aut uituperaturi ſumus.
- Res, quo tempore geſtæ fuerint, aut ordine, ut quicquid tutè, cauteq́; actum ſit, intelligatur.

DE ORDINE IN ALIcuius uita demonſtranda.

A rebus externis demonſtrabitur alicuius
- Genus in laude, quibus maioribus natus ſit, ſi bono genere, parem, aut excelſiorem fuiſſe: Si humili genere ipſum in ſuis, non in maiorum uirtutibus habuiſſe præſidium. In uituperatione. Si bono genere, dedecori maioribus fuiſſe: Si malo, tamen his ipſis detrimento fuiſſe.
- Educatio in laude, quòd bene, quòd honeſtè in bonis diſciplinis per omnem pueritiam educatus fuerit. In uituperatione è contrario.

DE

De corporis

DE CORPORIS commodis.

A corporis commodis erit natura

In laude, Vt *si dignitas fuerit, & forma, nos eam laudi fuisse dicemus, non quemadmodum cæteris detrimento atq; dedecori. Si uires atq; uelocitas egregia, honestis hæc exercitationibus, & industrijs dicemus comparata. Si ualetudo ex perpetua diligentia, & temperantia cupiditatum.*

In uituperatione, *si erunt hæc corporis commoda, his malè usum dicemus, quæ casu & natura tanquam quilibet & gladiator habuerit. Si non erunt, præter formam, omnia ipsius culpa, et intemperantia non fuisse.*

COMPENDIVM DE COMMODIS ANIMI.

In rebus extraneis considerantur animi, si perpendemus

- *Quæ fuerint uirtutes, uitia, diuitiæ, paupertates, potestates, gloriæ, amicitiæ, inimicitiæ.*
- *Quid fortiter in gerendis inimicitijs fecerit, cuius causa susceperit inimicitias.*
- *Qua fide, beneuolentia, officio gesserit amicitias.*
- *Qualis in diuitijs, aut cuiusmodi fuerit in paupertate.*
- *Quemadmodum habuerit in potestatibus gerendis animum.*
- *Qualis mors eius, si interierit, fuerit, cuiusmodi res mortem eius sit consecuta.*
- *Quid iustè, fortiter, modestè, prudenter gesserit.*
- *Quod si uituperabimus, id faciemus è contrario, ostendentes aliud iniustè, aliud ignauè, aliud immodestè, aliud stultè factum esse.*

DE CONCLVSIONIBVS.

Conclusionibus *utemur breuibus, Enumeratione ad exitum causæ. In ipsa causa crebras & breues*

ues amplificationes interponemus per locos communes.

DE DISPOSITIONE.

Dispositio est, per quam illa, quæ inuenimus, in ordinem redigimus, ut certo quicq; ordine pronuncietur.

Cuius genera duo sunt:

- Vnum ex artis institutione profectum, quod duplex est:
  - Vnum, in quo sequimur partium orationis ordinem, libro primo traditum. ITEM: consideramus, quid prius, tempore, natura, positione, dignatione.
  - Alterum, quo seruamus argumentationum lib. 2. traditum ordinem. item firmissimas argumentationes in primis & postremis causæ partibus collocamus, in medio autem mediocres.
- Alterum ad casum temporis accommodatum, quum ab ordine artificioso recedendum est, Oratoris iudicio ad tempus accommodatur.

COMPENDIVM

DE PRONVNCIATIONE.

DE VOCVM DIFFERENTIJS.

Alia dicenda sunt uoce

- Fusca, clara,
- Leni, aspera,
- Exili, plena,
- Hilari, mœsta,
- Flebili, ridiculosa,
- Depressa, acuta,
- Clamosa, humili,
- Tarda, cita.

Pronunciatio *diuiditur in uocis figuram, & motum corporis.*

Vocis figura *est habitus uocis, ratione & industria comparatus. Ea diuiditur in tres partes:*

I. Magnitudinem *uocis maximè comparat natura, nõnihil hãc auget, sed maximè cura conseruat.*

II. Firmitudinem *uocis natura comparat, nõnihil adauget, & maximè conseruat exercitatio declamationis.*

Quæ conseruatur, si fuerit

- Sedata uox in principio.
- Interualla.
- Remissio clamoris.
- Clamoris acuti uitatio.
- Vox continens in extrema oratione.

III. Mol-

III. Mollitudinem, *qua uocem pro noſtro commodo torquemus, maximè faciet exercitatio declamationis. Ea diuiditur in ſermonem, contentionẽ, amplificationem.*

Sermo eſt *oratio demiſſa, & finitima quotidianæ locutioni, Diuiditur in*

- Dignitatem, *hæc eſt oratio cum aliqua grauitate.* Hic *plenis faucibus quàm ſedatiſſima uoce uti conuenit, ita tamen, ne ab oratoria cõſuetudine ad Tragicam tranſeamus.*
- Demonſtrationem: Hic *uoce paulum attenuata crebris interuallis, et diuiſionibus oportet uti.*
- Narrationem. Hîc *uocum uarietate opus eſt, ut quo quidq; pacto geſtum ſit, ita narrari uideatur.*
- Locationem: *Quæ ex aliqua re ueriſimili riſum pudentem, ac liberalem poteſt captare.* Hîc *uoce leniter tremebunda licet uti, cũ parua ſignificatione riſus, ſine ulla ſuſpicione nimiæ cachinnationis.*

Contentio *eſt oratio acris, & ad confirmandum & confutandum accommodata.*

Cuius

Cuius partes ſunt,

Continuatio, eſt orationis enuncian-dæ acceleratio clamoſa. Hic adaucto mediocriter ſono uocis, uerbis conti-nuandis uocem quoq; iungere oporte-bit, & torquere ſonum, & celeriter cũ clamore uerba conficere.

Diſtributio, eſt oratio frequens in con-tentione, in acri uociferatione, compē-ſatis interuallis. Hic uocem ab imis fau-cibus exclamatione quàm clariſsima ad-hibere oportet.

Amplificatio eſt oratio, quæ ad iracundiam uel ad miſericordiam trahit.

Cuius partes

Cohortatio, quæ peccatum amplificãs, auditorem ad iracundiam adducit. Hic uo-ce utemur attenuatiſs. clamore leni, ſono æ-quabili, commutationibus crebris, maxima celeritate.

Conqueſtio, quæ incommodorũ ampli-ficatione animum auditoris ad miſericor-diam perducit. Hic uoce utemur depreſſa, inclinato ſono, crebris interuallis, longis ſpa-cijs, magnis commutationibus.

Corporis motus altera pronunciationis pars, ge-ſtus & uultus eſt moderatio, quæ probabiliora red-dit ea, quæ pronunciantur.

Caput

Caput: *Hoc in actione sicut in corpore praecipuum, erectum esse, aptos ex ipsa actione motus accipere, cum gestu concordare, & manibus & lateribus obsequi debet.*

In actione non leue momentum habent

Vultus: *qui maximè dominatur, hoc minaces, blandi, tristes, hilares sumus, hoc pendēt homines, ac intuentur.*

Oculi: Per *quos maximè animus emanat:* Hi *motu fiunt intēti, superbi, torui, mites, asperi, rigidi, stupentes.* Hinc *laetitia uel dolor erumpit.*

Supercilia. *In his multū agitur, haec oculos formant, et frōti imperant, his cōtrahitur, attollitur, demittitur, ut nulla res in ea plus ualeat.* In *illis uitiū est, si aut immota sint omnia, aut nimium mobilia, aut inaequalitate dißident.*

Nares: *Has corrugare, inflare, digitis inquietare, plana manu resupinare, indecorū est,* Et *emunctio frequentior reprehenditur.*

Labra: *quae malè porrigūtur, diducuntur, dentes nudāt, & in latus, ac penè ad aurē trahuntur.* Lambere *ea, & mordere, deforme est.*

Ceruix, *quam rectam esse oportet, nō rigidā aut supinā.* Humeri: *quorū rarò decens alleuatio atq; contractio.* Manus: *sine quibus trunca est actio, ac debilis.* His *poscimus, pollicemur, uocamus, dimittimus, minamur, supplicamus, ostendimus laetitiam, copiam, numerum.*

DE

COMPENDIVM
DE MEMORIA.

Memoria necessarium uitæ bonum perhibetur, eruditionis ueluti ταμεῖον, non eloquentiæ tantùm thesaurus, uerumetiam naturæ lumen, custos artium. Insigne diuinitatis argumentum.

Hęc duplex est, altera

Artificiosa, quam confirmat inductio quædã & ratio præceptionis: Quæ cõstat

Locis: Hos appellamus qui breuiter, perfectè, aut natura, aut manu sunt absoluti, ut eos facilè naturali memoria cõprehẽdere & amplecti queamus, ut ædes, intercolumnium, angulum, fornicem, fenestram.

Imaginibus: Quæ sunt formæ quædã & notæ, & simulachra eius rei, quam meminisse uolumus, quod genus equi, leones, aquilæ, quorum memoriam si uolumus habere, imagines eorum certis in locis collocare nos oportebit.

Naturalis est quæ nostris animis insita, sine inductione artis, simul cum cogitatione nascitur.

Cùm de Memoria Quintil. satis multa præcepisset, tãdem sic inquit: Si quis unã maximam à me artem

tem memoriæ quærat: exercitatio eſt, & labor, multa ediſcere, multa cogitare, &c. Nihil æquè uel augetur cura, uel negligentia intercidit. Quare & pueri ſtatim quàmplurima ediſcant, et quæcunq; ætas operam iuuandæ ſtudio memoriæ dabit, deuoret initio tædium illud, & ſcripta, & lecta ſæpius reuoluendi, & quaſi eundem cibum remandendi.

QVOMODO CONFIRmanda ſit Memoria.

Memoriam confirmabit puer, ſi potiſſimũ adſueuerit

- Plurima ediſcere, non ignauo ſemper ocio torpere.
- Bonam ualetudinem conſeruare, non crapula perdere.
- Inclinato capite nunquam ſcribere, uel legere.
- Hora matutina, quæ ſtudijs amica fertur, ingenij neruos intendere, aut cibo cõcocto ſub ſomnũ ediſcere, quæ manè repetat à memoria.
- Ea, quæ diſcere uoluerit, penitus intelligere, & rerum ordinem animo imprimere.
- Per partes ea, quæ longiora fuerint ediſcere, difficilioribus autem no-

tas quasdam, ut recordatio sit expeditior, apponere.
Ea, *quæ memoria complecti uoluerit, primò diligenter scribere.*
Alieno *magis, quàm suo silentio memoriæ discenda mandare.*
Subinde *periculum, an teneat, facere: sibi nihil ignoscere.*

LIBER QVARTVS.

DE ELOCVTIONE.

Elocutio diuiditur in
- Genera dicendi.
- Elegantiam.
- Compositionem.
- Dignitatem.

DE GENERIBVS DIcendi.

Genera dicendi sunt, quæ nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio non uitiosa consumitur.

Sunt

Sunt autem tria:

Graue, quod constat ex uerborum grauium magna & ornata cõstructione. Cuius uitium est suffultum, cùm oratio turget, aut inflatur, nouis, priscis, & duriter aliunde translatis uerbis, aut grauioribus, quàm res postulat.

Mediocre, quod constat ex humiliore, sed non infima, aut peruulgatißima uerborum dignitate. Cuius uitium fluctuans ac dissolutum uocatur, quòd sine neruis & articulis huc illuc fluctuet. Quod humilem fugiens figuram, nimium ascendit, aut inflatam & tumidam uitans, nimium descendit.

Attenuatum, quod demissum est ad usitatißimam puri sermonis cõsuetudinem. Cuius uitium aridum & exangue est orationis genus, exile uocatum.

DE ELEGANTIA.

Elegantia est, quæ facit, ut unumquodq; purè, & apertè dici uideatur.

Cuius partes sunt :

Latinitas, quæ purũ sermonẽ conseruat , ab omni uitio remotũ, Cuius uitia sunt

Barbarismus, est contra Romani sermonis legem, aut scripta, aut pronunciata uitiosa dictio: Fit quatuor modis : Additione, Detractione, Immutatione, & Trãs positione, literæ, syllabæ, temporis, toni, aspirationis.

Solœcismus, est impar & inconueniens partiũ orationis compositura, quæ dicebatur à nonnullis Stribligo, uel Imparilitas. Fit per immutationem generum, casuum, numerorum, personarum, temporum, accentus. Item per qualitates, modos uerborum, aduerbia localia, præpositiones, gradus comparationis, geminationem abnuendi, secundum Diomedem.

Exclamatio, quæ reddit apertam ac dilucidam orationem, comparatur rebus duabus.

Vsitatis uerbis, ea sunt, quæ uersantur in sermone, ac consuetudine quotidiana.

Verbis proprijs. Quæ eius rei uerba sunt, aut esse possunt, de qua loquemur.

DE COMPOSITIONE.

Compoſitio, *Græcè* σύνθεσις, *eſt apta te cõcinna modulis ſuis ſtructura, qua alius pes alio iucundiorem clauſulam efficere dinoſcitur.*

Recipit autem
- Ordinem, *qui conſiſtit in uerbis ſingulis, aut compoſitis.*
- Iuncturam, *hæc habet* κόμματα, κῶλα, περίοδον.
- Numerum, *in quo* ῥυθμός *eſt,* & μέτρον.

DE DIGNITATE.

Dignitas *eſt, quæ reddit ornatã orationem uarietate diſtinguens. Diuiditur in uerborum & ſententiarum exornationem.*

DE EXORNATIONE uerborum.

Exornatio uerborũ eſt, quæ ipſius ſermonis inſignita continetur perpolitione.

Cuius ſpecies ſunt XLV.

Repetitio, Cõuerſio, Complexio, Traductio, Contentio, Exclamatio, Interrogatio, Ratiocinatio, Sententia, Contrarium, Membrum, Articulus grauis, Conti-

nuatio mediocris, Compar graue, Similiter cadens, Similiter desinens, Agnominatio humilis, Subiectio, Gradatio, Definitio, Transitio, Correctio, Occupatio, Disiunctio, Coniunctio, Adiunctio, Conduplicatio, Interpretatio, Commutatio, Permissio, Dubitatio, Expeditio, Dissolutio, Præcisio, Conclusio, Nominatio grauis, Pronominatio, Denominatio, Circuitio, Transgressio, Superlatio, Intellectio, Abusio, Translatio, Permutatio.

DE EXORNATIONE *Sententiarum.*

Sententiarum exornatio, quę non in uerbis, sed in ipsis rebus habet dignitatem.

Cuius species sunt XXIII.

Distributio, Licentia, Diminutio, Descriptio, Diuisio, Frequētatio, Expolitio, Commoratio, Contentio, Similitudo, Exemplum, Imago, Effictio, Notatio, Sermocinatio, Cōfirmatio, Significatio, Breuitas, Demonstratio, Redditio causæ, Incrementum, Eleuatio, Interclusio.

DE

DE REPETITIONE, QVAE Verborum exornatio prima.

ἀναφορὰ, uel ἐπαναφορά.

Repetitio est, cùm continenter ab uno atq; eodem uerbo in rebus similibus & diuersis principia sumuntur, hoc modo: Scipio Numantiam sustulit, Scipio Carthaginem deleuit, Scipio pacem peperit, Scipio ciuitatem seruauit.

DE CONVERSIONE.

ἀντιστροφὴ, uel ἐπαναδίπλωσις.

Conuersio est, per quam non, ut antè, primum repetimus uerbum, sed ad postremū continenter reuertimur, hoc modo: Pœnos populus Romanus iustitia uicit, armis uicit, liberalitate uicit.

DE COMPLEXIONE.

Συμπλοκή.

Complexio est, quæ utrāq; complectitur exornationem, & hanc, & quam antè exposuimus, ut & repetatur idem primum uerbum, sæpius & crebrò ad idem postremum reuertamur, hoc modo: Qui sunt, qui fœdera sæpe ruperunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui Italiam deformauerunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui sibi ignosci postulāt? Carthaginenses.

DE TRADVCTIONE.

ἐπάνοδος, uel πλοκή.

Traductio est, quæ facit, ut quum idem uerbū crebrius ponatur, non modò non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat, hoc modo: Qui nihil habet in uita iucundius uita, is cum uirtute uitam non potest colere. ITEM: Cùm uerbum modò ponitur in hac, modò in altera re, ut: Cur eam rem tam studiosè curas, quæ multas tibi dabit curas?

DE CONTENTIONE.

ἀντίθετον.

Contentio est, cùm ex contrarijs uerbis oratio conficitur, hoc pacto: Habet assentatio iucunda principia, eadem exitus amarißimos affert. ITEM Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem præbes.

DE EXCLAMATIONE.

ἀποστροφή, uel ἐκφώνησις.

Exclamatio est, quæ conficit significationem doloris, aut indignationis alicuius, per hominis, urbis, loci, aut rei cuiuspiam compellationem, ut: Téne alloquar Africane, cuius mortui quoq; nomen splendori & decori est ciuitati? Tui clarißimi nepotes abluerunt suo sanguine, inimicorum crudelitatem. O tempora, ô mores.

DE INTERROGATIONE.

ἐρώτησις.

Interrogatio, quæ cùm enumerata sint ea, quæ obsunt causæ aduersariorum, confirmat superiorem orationem, hoc pacto: Cùm igitur hæc omnia faceres, diceres, administrares, utrum animos sociorum ab Republica remouebas, & alienabas, an non? & utrum aliquē exorari oportuit, qui ista prohiberet, ac fieri non sineret?

DE RATIOCINATIONE.

ἐρώτημα.

Ratiocinatio est, per quam nos ipsi à nobis rationem poscimus, quare quicq; dicamus, & crebrò nosmet à nobis petimus uniuscuiusq; propositionis explanationem, ut: Maiores nostri, si quam unius peccati mulierem damnabant, simplici indicio multorū maleficiorum conuictā putabant. Quo pacto? Quoniam, quam impudicam iudicarant, eam ueneficij quoq; damnatam existimabant. Quid ita? Quia necesse est eam, quæ suum corpus addixerit turpißimæ cupiditati, timere permultos. Quos? Istos, uirū, parentes, & cæteros, ad quos uidet sui dedecoris infamiam pertinere. Quid postea? Quos tantoperè timeat, eos necesse est, ut quoquo modo poßit, ueneficio petat, & cæt.

DE SENTENTIA.

Γνώμη, uel παραίνεσις.

Sententia est oratio sumpta de uita, quæ aut quid sit, aut quid esse oporteat, in uita breuiter ostendit, ut: Liber is est existimandus, qui nulli seruit turpitudini. ITEM cum rationis subiectione, ut: Omnes bene uiuendi rationes, in uirtute sunt collocandæ, propterea quòd sola uirtus in sua potestate est, omnia præter eam subiecta sunt fortunæ dominationi.

DE CONTRARIO.

ἀντίθεσις, Est eadem ferè, quæ contentio, ἀντίθετον.

Contrarium est, quod ex rebus diuersis duabus alteram breuiter, & facilè confirmat, hoc pacto: Nam qui suis rationibus inimicus fuerit semper, eum quomodo alienis rebus amicum fore speres?

DE MEMBRO.

Κῶλον.

Membrum orationis appellatur, res breuiter absoluta sine totius orationis demonstratione, uel sententiæ perfectione, dum alio membro orationis accipiatur, ut: Tuis dolori, alienis ludibrio, tibi ipsi dedecori eras.

DE ARTICVLO GRAVI.

ἀνάλυτον, uel διάλυτον.

Articulus

Articulus est, qui singula uerba, cæsa oratione distinguit, armis, cruore, cadaueribus, et luctu omnia complentur.

DE CONTINVATIONE mediocri.

Συνεχεία, περίοδος.

Continuatio est densa, & continens frequentatio uerborum cum absolutione sententiarum, ut: Ei non multum potest obesse fortuna, qui sibi firmius in uirtute, quàm in casu præsidium collocauit.

COMPAR GRAVE.

ἰσόκωλον.

Est, quod habet in se membra orationis constãtia ex pari ferè numero syllabarum, ut: In prælio mortem pater oppetebat, domi filius nuptias comparabat. Audacia Alexandro gloriam comparauit. Sapientia Platoni laudem uendicauit.

SIMILITER CADENS.

ὁμοιόπτωτον.

Similiter cadens, cùm in eadem constructione uerborum, duo aut plura sunt uerba, quæ similiter ijsdem casibus efferuntur, ut: hominem laudas egentem uirtutis, abundantem felicitatis.

SIMILITER DESINENS.

ὁμοιοτέλευτον.

Similiter desinens est, cùm tametsi casus nõ insunt,

ſunt, in uerbis, tamen ſimiles exitus ſunt, hoc modo, Turpiter audes facere, nequiter ſtudes dicere. Viuis glorioſe, delinquis ambitioſe.

DE AGNOMINATIONE.
Παρανομασία.

Agnominatio eſt, quæ diſsimilibus rebus accommodat ſimilia uerba, ut: Deligere oportet, quem uelis diligere. Iactator iſte uenit à te antè, quàm Romam uenit.

DE SVBIECTIONE.
ἀνθυποφορά, προσαπόδοσις.

Subiectio eſt, cùm interrogamus aduerſarios, & quærimus ipſi, quid ab illis, aut quid contra nos dici poſsit, deinde ſubijcimus, quod oporteat, aut quod non. Aut nobis adiumento futurum ſit, aut offuturum illis è contrario, ut: Vnde iſte tam pecunioſus factus? Amplum patrimonium relictũ? At patris bona uenierunt. Hæreditas aliqua obuenit? Non poteſt dici, ſed etiam à neceſſarijs omnibus exhæredatus eſt.

GRADATIO.
Κλίμαξ.

Gradatio eſt, in qua non antè ad uerbum conſequẽs deſcenditur, quàm ad ſuperius cõſcenſum eſt, ut:

ut: Africano industria uirtutem, uirtus gloriam, gloria æmulos comparauit.

DEFINITIO.

ὅρος, uel ὁρισμός.

Definitio est, quæ rei alicuius proprias amplectitur potestates breuiter, & absolutè, hoc modo: Maiestas Reipublicæ est, in qua continetur dignitas, & amplitudo ciuitatis.

TRANSITIO.

Μετάστασις, uel μετάβασις.

Transitio uocatur, quæ, quum ostendit breuiter, quod dictum sit, præponit item breuiter, quod consequatur, hoc modo: In patriam cuiusmodi fuerit, habetis, nunc in parentes qualis extiterit, considerate.

CORRECTIO.

Μετάνοια, ἐπανόρθωσις.

Correctio est, quæ tollit id, quod dictum est, & pro eo id, quod magis idoneum uidetur, reponit, hoc pacto: O uirtutis comes inuidia, quæ bonos insequeris plerunq;, imò adeò insectaris.

OCCVPATIO.

Παράλειψις Præteritio, Omißio.

Occupatio, quum dicimus nos præterire, aut non scire id, quod maximè dicimus, ut: Non dicam tè urbis nostræ hostem omnes bonos insectari. Et quod

ad

ad hanc causam non pertinet, præteribo, templum tē religionis, & urbis huius caput euertisse. Est & occupatio, cùm tacitæ obiectioni occurrimus; eaq; quæ obijci possent præuenientes, diluimus, à Græcis προκατάληψις appellata, id est, præoccupatio.

DISIVNCTIO.

Διάλυτον, uel διάζευγμα.

Disiunctio diuersa diuerso uerbo concludit, ut: Populus Romanus Numantiam deleuit, Carthaginem sustulit, Corinthum disiecit.

CONIVNCTIO.

Μεσόζευγμα.

Coniunctio per interpositionem uerbi, & superiores orationis partes cōplectitur, & inferiores, ut: Formæ dignitas et morbo deflorescit, et uetustate.

ADIVNCTIO.

Πρόζευγμα, uel ὑπόζευγμα.

Adiunctio aut in principio, aut fine uerbū collocat, ut: Deflorescit formæ dignitas, aut morbo, aut uetustate. Aut morbo, aut uetustate formæ dignitas deflorescit.

CONDVPLICATIO.

ἀναδίπλωσις, uel ἐπανάληψις.

Conduplicatio est unius aut plurium iteratio cum ratione amplificationis, ut: Virtutem Scipionis, uirtutem, & huius urbis gloriam commemorat. Com

motus

motus non es, cùm tibi mater pedes amplexaretur, nõ es commotus.

INTERPRETATIO.

ἑρμηνεία, συνωνυμία.

Interpretatio, *quæ non iterans idem redintegrat uerbum, ſed id commutat, quod poſitũ eſt, alio uerbo, quod idem ualeat, ut, Patrem nefariè uerberaſti, Parenti manus ſcelerat è intuliſti.*

C O M M V T A T I O.

ἀνάκλησις, *uel* ἀντιμεταβολή.

Commutatio, *cùm duæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes ex tranſitione ita efferuntur, ut à priore poſterior contraria priori proficiſcatur, ut: Eſſe oportet, ut uiuas: non uiuere, ut edas.*

P E R M I S S I O.

ἐπιτροπή.

Permiſsio, *cùm dicendo aliquam rem toti alicuius uoluntati condonare uidemur, ut: Cùm præter animam nihil relictum ſit, ea uti libet ut animi.*

D V B I T A T I O.

ἀπορία, *uel* διαπόρησις.

Dubitatio, *cùm quærere uidetur Orator, utrũ de duobus potius, aut quid de pluribus potiſsimum dicat, hoc modo: Obfuit eo tempore plurimũ Reip. conſulum ſiue ſtultitiam, ſiue malitiam dicere oportet, ſiue utrunq;.*

EX-

EXPEDITIO.

ἀπόφασις.

Expeditio, *quæ rationibus pluribus enumeratis, quibus aliqua res fieri, aut non fieri potuerit, cæteræ tolluntur, & unà relinquitur, ut: ſic nec ab uxore, quæ amore et pietate præpedita, nec à nepote qui in bello interfectus erat, domi à crudeliſsimo liberto mors illata eſt.*

DISSOLVTIO.

ἀσύνθετον.

Diſſolutum, *quod ſine coniunctionibus profertur, ut:* Clamoribus, *ululatibus ædes reſonabant.* Gere *morem parenti, pare cognatis, obſequere amicis, obtempera legibus.*

PRAECISIO.

Παρασιώπησις, *uel* ἀποσιώπησις.

Præciſio *eſt, quum dictis aliquibus reliquum quod cœptum eſt dici, in animo audientium relinquitur, ut:* Tu *hæc audes dicere, quæ nuper alienæ domui, non auſim dicere, ne quum te digna dixero, me indignum quippiam dixiſſe uidear.*

CONCLVSIO.

ἐπίλογος.

Concluſio *eſt, quæ breui argumentatione, ex ijs, quæ antè dicta ſunt, aut facta, conficit id, quod ne*

cessario

cessariò consequitur, ut: Quòd si Danais datum erat oraculum, non posse capi Troiam, sine Philoctetæ sagittis, hæ autem nihil aliud fecerunt, nisi Alexandrũ perculerunt, hunc extinguere, id nimirum capi fuit Troiam.

NOMINATIO GRAVIS.

ὀνοματοποιΐα.

Nominatio est nominis confictio, soni imitatione, ut rudere, uagire, mugire, fragor ciuitatis, clãgor tubarum.

PRONOMINATIO.

ἀντονομασία.

Pronominatio est, quæ cognomine quodam extraneo dicit, quod suo nomine appellari non licet, ut si quis Gracchos Aphricani nepotes nominet. Videte iudices, quemadmodum Plagiosippus iste tractarit.

DENOMINATIO.

Μετωνυμία.

Denominatio est, quæ à rebus propinquis & finitimis trahit orationis originẽ, qua possunt intelligi res non suo nomine appellatæ, ut pro Libero, uinum: pro Cerere frugem: Aut ebur, argentumq; pro diuitijs: Aut continens pro eo, quod continetur. Virgilius in 7. Nunc pateras libate Ioui.

CIRCVITIO.

περίφρασις.

Circuitio est oratio, rem simplicem assumptam circumscribens elocutione, ut: Scipionis prouidentia Carthaginis opes fregit.

TRANSGRESSIO.

ὑπέρβατον.

Transgressio est, quæ perturbat uerborum ordinem, ut: Instabilis in istum plurimũ fortuna ualuit. &c.

SVPERLATIO.

ὑπερβολή.

Superlatio est oratio, superans ueritatem, alicuius augendi, minuendíue causa, ut: sermo melle dulcior, corpus niueum, igneus ardor.

INTELLECTIO.

Συνεκδοχή.

Intellectio est, quum res tota de parua parte, aut de toto pars cognoscitur, ut: Num illæ te tibiæ nuptiales à scelere arcebant? Et: Ostentas mihi diuitias tuas, quum annulum tantùm ostentas.

ABVSIO.

Κατάχρησις.

Abusio est, quæ uerbo simili, et propinquo pro certo & proprio abutitur, hoc modo: Vires hominis breues sunt, aut parua statura, aut longum in homine consilium, aut oratio magna, aut uti pauco sermone. ITEM, pro orare, obsecrare, supplicare.

TRANSLATIO.

Μεταφορά.

Translatio est, quum uerbum ad quandam rem transfertur ex alia re, quod similitudine rectè uidebitur posse fieri, ut: Tumultus Germaniam expergefecit. Turca multas ciuitates extinxit. Omnia nunc rident.

PERMVTATIO.

ἀλληγορία.

Permutatio est oratio, aliud uerbis, aliud sententia demonstrans, fitq; uel à similitudine, ut: Lupus est in fabula: uel per argumentum, ut si quis Drusum appellet Gracchum. Et Numitorem obsoletum. Aut per contrarium, ut si quis prodigum & luxuriosum illudens, parcum & diligentem appellet.

COMPENDIVM DE SENTENTIARVM Exornationibus.

DISTRIBVTIO.

Διανομὴ, uel μερισμὸς, à nonnullis uocatur διακοπή.

Distributio est, quum res, personæ & negocia certa dispertiuntur, ut: Quibus Reipublicæ honor curæ est, præmia uirtuti, pœnas sceleribus rependite. Item: Senatus officium est, consilia ciuitatum iuuare: Magistratus, opere, & diligentia: Populi, obedire. Accusatoris, inferre crimina: Defensoris, diluere, & propulsare: Testis, dicere, quæ scierit, & audierit: Quæstoris, unumquenq; horum in officio cótinere: Iudicis procurare, ne fiat iniuria reo.

LICENTIA.

παῤῥησία.

Licentia est, quum apud eos, quos uereri debemus, aliquid audacius proferimus, ut: Quòd omnib. ludibrio estis, æquißimi patres, non ab re censeo. Ea autem, quæ nimium habuerit acrimoniæ mitiganda erit, ac subiungendum: Virtutem uestram quæro, Sapientiam desidero, ueterem consuetudinem requiro.

DIMI-

DIMINVTIO.

Λιτότης.

Diminutio est, cùm aliquid inesse nobis naturæ, fortunæ, uel industriæ ratione, attenuamus, ut: Pro meo iure, Patres, dico, me labore & industria curasse, ut disciplinam militarem non in postremis tenerem.

DESCRIPTIO.

Διατύπωσις, uel ὑποτύπωσις.

Descriptio, quæ rerum consequentium perspicuam, & dilucidam cum grauitate continet expositionem, hoc modo: Si de hoc iudices, grauem sententiam tuleritis, uno iudicio simul multos iugulaueritis. Grandis natu parens, cuius spes senectutis omnis in huius adolescẽtia posita est, quare uelit in uita manere, non habebit. Filij parui, priuati patris auxilio, ludibrio, & despectui paternis inimicis erunt oppositi. Tota domus huius indigna concidet calamitate. Inimici statim sanguinolenta palma, crudelißima uictoria potiti, insultabunt in horum miserias, & superbire simul, & uerbis inuehentur.

DIVISIO.

Διάλυμα.

Diuisio est, quæ rem semouens ab re, utranque

absoluit, ratione subiecta, hoc modo: Cur ego nunc tibi obijciam quicquam? Si probus es, non meruisti: sin improbus, nihil cōmouere. Quid nunc ego de meis meritis prædicem? Si meministis, obtundam: Si obliti estis, cùm re nihil egerim, quid est, quod uerbis proficere poßim.

FREQVENTATIO.

Συναθροισμός.

Frequentatio, cùm res in tota causa disperse coguntur in unum locum, quò grauior, acrior, et criminosior sit oratio, ut: Hunc iudices liberare cupitis? Proditor, insidiator, improbus, petulans, infestus, impius, & intolerabilis est.

EXPOLITIO.

ἐξεργασία, uel ταυτολογία.

Expolitio est, cùm in eodem loco manemus, et aliud atq; aliud dicere uidemur, eandem tamen rem aut de eadem re commemorando, pronunciando, uel tractando dicimus, pro eadem re propositionem, rationem, comprobationem, contrarium, simile, ac conclusionem afferentes.

COMMORATIO.

ἐπιμονή. Perseuerantia.

Commoratio, cùm in eodem loco firmißimo, quo

quo tota res continetur, immoramur diutius, & in eundem locum redimus sæpius, quod est boni Oratoris proprium. Exemplum in Miloniana, ubi in exponendis insidijs commoratur Cicero.

CONTENTIO.

ἀντίθετον.

Contentio est, per quam contraria referũtur, ut: Vos huius incommodis lugetis, iste Reipublicæ calamitate lætatur. Vos uestris fortunis diffiditis, iste solus suis eo magis confidit.

SIMILITUDO.

παραβολή, uel ὁμοίωσις.

Similitudo est oratio traducẽs ad rem quampiam aliquid ex re dispari, simile. Fit per cõtrarium, ut: Imperium administrare, & palestræ ludum, contrario modo se habent. ITEM, per negationem, ut: Nõ sic in amicitia, sicut in certamine currendi se res habet, ubi nouus ueteribus præponendus est. ITEM. per collationem, cuiusmodi poëticæ fermè comparationes sunt. ITEM, per breuitatem, ut quum Oratoris audacißimi cuiusdam facta reprehendere uolumus, bene ornato, sed inconcinno & malo cytharœdo comparabimus.

EXEMPLVM.
παράδειγμα.

Exemplum est alicuius facti, uel dicti præteriti cum certi autoris nomine propositio, & iisdem ferè modis, quibus Similitudo sumitur.

IMAGO.
εἰκών.

Est formæ cum forma cum quadam similitudine collatio, laudis, uel uituperationis causa facta, ut: Ibat in prælium corpore tauri ualidißimi, impetu leonis. Vituperij sic: Tanquàm fœta ursa aut immanis draco serpit per forum.

EFFICTIO.
προσωποποιΐα, uel χαρακτηρισμός.

Effictio est, quum facies corporis uerbis describitur, ut: Erecta fronte, ludibundis oculis, aduncis naribus, sparso ore gestit. Hūc dico Iudices, breuem, incuruum, canum, subcrispum, cæsium, cui magna in mento cicatrix.

NOTATIO.
Μίμησις, uel ἠθοποιΐα.

Notatio, quum alicuius natura certis describi-

tur

tur signis, quæ sicuti notæ quædam naturæ sunt attributa, ut, cùm gloriosi militis iactantia, aut iniuriosi ferocia plenè recensetur.

SERMOCINATIO.

διάλογος, uel διαλογισμός.

Sermocinatio est, quum personæ sermo cum ratione dignitatis attribuitur, senesq; parci grauitate, ioco & ludo iuuenes, & rerum profusione delectari commemorantur.

CONFORMATIO.

εἰδωλοποιΐα.

Conformatio, cùm aliqua quæ nõ adest persona, uel res muta, & informis, & eloquens, & habens formam introducitur, ut si Scipio reuiuiscat, diceret: Ego urbi pacem peperi, uos bella concitastis.

SIGNIFICATIO.

ἔμφασις.

Significatio, quæ plus in suspicione relinquit, quàm positum est in oratione.

Significatio fit per

Exuperationem, ὑπερβολήν, cùm plus dictum est, quàm patitur ueritas, augendæ suspicionis causa, ut: Hic de tanto patrimonio tã citò testam, qua sibi petat ignem, non reliquit.

Ambiguum, ἀμφιβολογίαν: cùm uerbum potest in duas, plurésue sententias accipi, sed accipitur in eam partem, quam uult is, qui dixit, ut de eo si dicas, qui multas hæreditates adierit: Prospice tu, qui plurimum cernis.

Consequentiam, ἀκολουθίαν: quum res quæ sequuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in suspicione, ut si salsamentarij filio dicas: Quiesce tu, cuius pater se cubito solebat emungere.

Abscisionem, ἀποσιώπησιν: Si cùm incipimus aliquid dicere, præcidimus, & ex eo, quod iam diximus, satis relinquitur suspicionis, ut: Qui ista forma, & ætate nuper alienæ domui, nolo plura dicere.

Similitudinem, ὁμοίωσιν: quũ aliqua re simili allata, nihil amplius dicimus, sed ex ea significamus, quid sentiamus, ut: Noli Saturnine nimium populi frequentia fretus esse, stultitiam nosce Gracchi.

BREVITAS.

Βραχυλογία.

Breuitas est res, ipsis tantummodo uerbis expedita, ut: Lemnum præteriens cepit. Inde Tarsi præsidium reliquit. Pòst urbem in Bithynia sustulit. Inde pulsus in Hellespontum, statim potitur Abydo.

DEMONSTRATIO.

ἐπίδειξις, uel φαντασία,
uel ἐνέργεια.

Demonstratio est, quum ita res uerbis exprimitur, ut geri negocium, & res ante oculos afferri uideatur, ut: Pila emittunt, sese umbone contegunt, gladijs cominus certant, cædunt, inq; uicem cæduntur, sanguine diffluunt.

REDDITIO CAVSAE.

αἰτιολογία.

Redditio causæ, quæ dictorum rationem, causamq; subiungit, ut: Si postquam dixeris, pauciores id temporis mathemata sequi, causam subijcias, non posse fieri, ut ea in re sibi quisquam elaborandum putet, cui nec honorem, nec præmia satis digna constituta esse intelligit.

INCRE-

INCREMENTVM.

αὔξησις.

Incrementum est, cùm grauioribus uerbis insurgit, increscitq; oratio, ut: Facinus est, uincire ciuem Romanum: scelus, uerberare: parricidium, necare, quid dicam, in crucem tollere. ITEM: Non furem, sed raptorem: non adulterum, sed expugnatorē pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionumq;: non sicarium, sed crudelißimum carnificem ciuium sociorumq; in uestrum iudicium adduximus.

ELEVATIO.

Διασυρμός.

Eleuatio, qua grauiora in nos allata argumenta, quæ diluere labor est, eleuamus, & cōtemnimus, nihil attinere ad ea respondere, quæ nihil ad rem facerent.

INTERCLVSIO.

Παρένθεσις.

Interclusio, uel interpositio auget orationem, dum cōtinuationi sermonis medius aliquis sensus interuenit, ut Cicero in Milone: Ego cùm te (mecum enim sæpißimè loquitur) patriæ reddidissem. Quintilianus lib. 9. cap. 3.

FINIS.

FRANCOFORTI,
apud Hæredes Chriſt. Ege-
nolphi, Menſe Martio,
Anno M. D. LXIII.

Hunc Librum emit Thomas Skodnij 8 grossis
Anno Dni 1596

[illegible]

Apud Romanos serui [illegible]

liberos [illegible] ciuile [illegible]

[illegible], [illegible], [illegible],

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Morum [illegible]

Qui sunt [illegible]

Morum et [illegible]

[illegible] Aristoteles pro [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

aliqua per se [illegible] quia [illegible]

aut [illegible] habent [illegible]

beneficio [illegible] habent

[illegible] in [illegible] beneficio [illegible]

[illegible] in [illegible]

[illegible] habent [illegible] beneficio [illegible]

Dispensatio [illegible] habent [illegible]

Tertio [illegible]

[illegible] ad [illegible] sunt [illegible]

4 vel 5